DE GENTE VALERIA.

26

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

Berlijn

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

DIE XXVI. MENSIS JUNII ANNI MDCCCLXXXXI

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRIDERICUS MÜNZER

OPPOLIENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

B. Krieger, Dr. phil.

W. Henze, cand. phil.

E. Kornemann, cand. phil.

OPPOLIÆ. 1891.

TYPIS ERDMANNI RAABE.

GUSTAVO UNGER

AVO CARISSIMO

S.

Cum inter nobilissimas gentes Romanas insignem locum Valerii obtineant,[1]) operae pretium videtur esse, de rebus ab iis gestis paulo accuratius agere. Neque enim post Haakhium[2]) illud opus quisquam suscepit et quamquam tantum abest, ut eius viri merito obtrectem, ut materiam ab eo diligentissime congestam perraro a me auctam fore libenter concedam, tamen inde ab eius aetate in historia Romana investiganda tam magnus factus est progressus, ut in rebus examinandis fortasse superari possit. Quare quae passim a viris doctis excogitata leguntur suo quaeque loco afferam; paucis attingam, si assentiar, si dissentiam, pluribus pertractabo. Atque in illam potissimum quaestionem, quae iam dudum animos in familiarum Romanarum res convertit, ut operam studiumque conferrem mihi proposui, quaenam e rebus de Valeriis traditis vanis familiae ipsius iactationibus tribuendae essent. Quis enim est, quin ignoret querelas illas Ciceronis (Brut. 16,61) et Livii (8. 40,4), qui dicunt funebribus laudibus imaginumque titulis[3]) historiam Romanam factam esse mendosiorem?

[1]) Quadragiens quinquiens Valeriorum nomen in fastis consularibus ante Caesaris necem legitur, totiens, quotiens Fabiorum. Nulla gens nisi Cornelia eas familias numero consulatuum superat; e ceteris nec patricia nec plebeia tam multos consules populo Romano dedit.

[2]) Pauly, Realencyclop. 6,2. 2322 sq.

[3]) Praeter laudationes et elogia, quae vocamus, et stemmata (cf. Peter, Relliquiae hist. Rom. XXVIII. Marquardt, Privatleben der Römer.[2] 243. 357.) nullum genus monumentorum privatorum Romae exstitisse puto. Commentarios domesticos gentium nobilium fuisse iure Mommsen (Röm. Gesch.[8] 1,464. Röm. Forsch. 2,278. cf. Niese, Hermes 13,411.) negare mihi videtur.

Accedit quod de Valeriis Niebuhr[1]) primus iudicium tulit, gentilem eorum fuisse Valerium Antiatem annalium scriptorem; quem quoquo modo ut gloriam gentis augeret studuisse. Eadem Livius (7. 9,5) Licinio Macro opprobrio dedit; ne Fabium Pictorem quidem hoc crimine absolvi posse Mommsen[2]) ostendit, sed de Antiate viri docti nequaquam inter se consentiunt. Nam etsi haud pauca afferemus in ipsa commentatione illustria nomina eorum, qui Niebuhrium secuti sunt, tamen ut ante hos quinquaginta annos Niebuhrio Liebaldt,[3]) ita nuper omnibus, qui idem sentiunt, Hesselbarth[4]) vehementer adversatus est. Prorsus igitur digna videtur haec quaestio, quae denuo pertractetur.

Atque ita rem instituam, ut primum de Valeriae gentis origine, deinde de viris praeclarissimis P. Poplicola, M. Maximo, M. Corvo copiosius agam, tum Valeriorum indicem constituam, denique de rebus gestis magistratibusque, qui iniuria iis attribuuntur, disseram.

---

[1]) Röm. Gesch. 3,143.

[2]) RF. 2,279 sq.

[3]) De Valerio Antiate. Progr. Naumbg. 1840. p. 13.

[4]) Untersuch. zur dritten Dek. des Liv. Halle 1889. p. 676.

Caput I.

De nomine origine sacris gentis Valeriae.

Inter grammaticorum Romanorum principes[1]) constabat, pro Valeriorum nomine quondam Valesiorum scriptum esse; eadem ratione Aureliorum quoque, Furiorum, Papiriorum, Pinariorum,[2]) Veturiorum nomina e priscis formis Auseliorum cet. orta esse. Cuius opinionis patrocinium contra Jordanum,[3]) qui grammaticum quendam Sullanae fere aetatis auctorem eius incusat, Cichorius[4]) suscepit non iniuria, ut opinor, sed falso fretus argumento. Concludit enim ex iis, quae Cicero (ad fam. 9. 21,2) cum Papirio Paeto amico communicat: „*Papirii fuerunt . . . patricii minorum gentium. quorum princeps L. Papirius Mugillanus, qui censor cum L. Sempronio Atratino fuit, cum ante consul cum eodem fuisset, annis post Romam conditam CCCXII; sed tum Papisii dicebamini. Post hunc tredecim sederunt in sella curuli ante L. Papirium Crassum, qui primus Papisius est vocari desitus*“, perscrutatum illum esse fastos quosdam vetustissimos, in quibus ante annum 414 a. u. c. Papisios pro Papiriis scriptos invenerit; exstitisse igitur fastos consulares quarto fere urbis saeculo conscriptos. At minime id Ciceronis moribus consentaneum est, sed eius modi res multo facilius commodiusque ex aliis fontibus cognoscere potuit, velut ex Attici annali. Quod ut accuratius ostendam, vereor ne inutili labore tempus consumam; maioris momenti est rem a primo auctore repetere.

---

1) cf. Varro Rer. div. lib. 5 ap. Serv. Aen. 4,219. Macrob. 3. 2,8. Pompon. Dig. 1.2, 2, 36. Verrius ap. Fest. p. 23. 213. Quintilianus. Inst. or. 1. 4,13.

2) Ex Ursini coniectura cf. O. Müller ad Fest. p. 213.

3) Hermes 6,203. Kritische Beiträge zur Gesch. der latein. Sprache. 1879. p. 107.

4) De fastis consularibus antiquissimis. Diss. inaug. Lips. 1886. = Leipziger Studien 9,175.

Manifestus is fit e Livio (4. 7,10 = Macer. frg. 13 Peter), qui L. Papirii Mugillani et L. Sempronii Atratini consulatum a Cicerone commemoratum „*neque in annalibus priscis neque in libris magistratuum*“ inveniri fatetur, sed apud unum Licinium Macrum, qui e documentis dubiae fidei[1]) eruerit.

Neque ex eo quod in primo et secundo Livii libro obsoletae nominum formae interdum leguntur, Cichorio[2]) argumentum erat ducendum; satis enim Mommsenum[3]) aliosque secutus Heydenreich[4]) demonstravit, antiquissimis annalium auctoribus velut Fabio Livium omnino usum non esse. Immo constat, nonnullos locos, quibus Fusiorum ac Vetusiorum nomina reperiuntur, a Livio e recentioribus fontibus haustos esse.[5])

Quare si nihilominus ad veterum grammaticorum opinionem revertimur, non fallacibus istis argumentis nitimur, sed permultis quae supersunt vestigiis mutationis litterarum, quam „*rhotacismum*“ vocare solemus.[6]) In nominibus propriis quoque litteram S in R conversam esse, docemur fibula celeberrima Praenestina,[7]) in qua scriptum est: „*Numasioi*“ i. e. *Numerio*. Neque Valeriorum nominis pristina forma plane interiit, nam in titulo quodam Paeligno[8]) nomen „*T. Valesies*“ legimus, in aliis inscriptionibus (Fabretti CI. Ital. no. 2691) praenomen „*Valesi*“, etiam nota VA scriptum (CIL. I. 187.). Attamen fortasse concedendum est, usum vetustum in oblivionem venisse, donec efflorescentis artis grammaticae aetate, ineunte septimo a. u. c. saeculo, rursus animos in se converteret. Quo factum est, ut apud antiquissimos auctores vestigia eius nunquam, apud recentiores a Livio adhibitos interdum invenirentur.[9]) Ac mutationem illam litterarum re vera factam esse,

[1]) Mommsen Röm. Chronol.² 93 sq. C. de Boor. Fasti censorii. Berol. 1873. p. 37 sq.

[2]) De fastis. 176.

[3]) RF. 2,220. 224. 290.

[4]) Fabius Pictor und Livius. Freiberg 1878.

[5]) cf. infra.

[6]) cf. Kühner. Ausführl. Gramm. d. lat. Spr. 1,106. Iw. Müller. Handb. der klass. Altertumswissenschaft. 2², 297. 299. Mommsen RG. 1,472 adn.

[7]) De editionibus cf. Teuffel, Geschichte d. römischen Litt.⁵ 1,127. adn. 4. 2,1309.

[8]) CIL. IX. p. 298 g. Zvetajeff. Inscr. It. med. dial. no. 28. Inscr. It. inf. dial. no. 30. Reliquae inscriptiones Italicae, quibus Valerii commemorantur, litteram R exhibent, nam elogium XV (CIL I. p. 289 = VI 1327) recentiore aetate, cum iam grammaticorum doctrina valuerit, scriptum, fortasse adulterinum est. cf. Jordan, Krit. Beitr. 106.

[9]) Solum fere *Vetusiorum* nomen saepius apud Livium (2. 19,2. 28,1. 30,9. 3. 8,2.) exstat, quod unde ortum videatur maxime apparet. (Varro L. L. 6,45 ex eo Plut. Numa 13,8. cf. Cichorius, De fastis 176.)

ne Jordan quidem negat, cum Valesios Sabinos maiores aut cognatos Valeriorum Romanorum existimet. Eadem quae huius etiam *Volusi* nominis origo est,[1]) quod antiquissimis temporibus praenomen, postea cognomen Valeriae gentis erat. An unquam Volusia gens cum illa cohaeserit, dubium et in coniectura positum est; iure autem e cognominibus *Volusi* sicut e *Fusi* colligi potest, in his cognominibus a Valeriis Furiisque obsoletam formam nominis gentilis servatam esse.

Valerii nominis vim iam veteres recte interpretati de voce „*valere*" ducebant; de stirpe participiali Valensium (auct. de praen. 1) — Valesium — Valerium Birt[2]) derivatum existimat. Qua de causa et aquilae quaedam robore insignes a poetis interdum „*Valeriae*" vocabantur (Plin. NH. 10,6.) et Silvani, qui deus est vigoris roborisque, parentes Valerius ac Valeria fingebantur (Plut. Par. min. 22) et Valerii nomen Romae erat boni ominis, ut in dilectu aliisque muneribus primum appellaretur (Fest. p. 121 cf. Cic. Div. 1. 45,102.). Eius generis nomina quanti a Romanis aestimata sint, multa testantur exempla, quae et a viris doctis collecta sunt et in hac commentatione afferentur.[3])

Cur veteribus, qui Sabinae originis nomen Valeriorum fuisse tradunt, fidem abrogemus non est,[4]) sed satis probabile videtur, gentem ipsam e Sabinis ortam esse. Eius enim rei argumentum accedit fabula, quae de saecularium ludorum origine narratur: Valesium virum agrestem Sabinum oraculi obscuri[5]) iussu primum in Tarento, qui est locus ad Tiberim situs, Diti et Proserpinae ludos celebrasse, quod aqua ibidem hausta tres ipsius liberi gravi morbo sint liberati. Haec res simpliciter nudeque exponitur a Valerio Maximo (2. 4,5), mirabilior ornatiorque a Zosimo (2,1 sq.) reddita est, cuius auctorem cognosci licet ex iis, quae de ara inferorum deorum

---

[1]) Jordan, Krit. Beitr. 106. 122. 124. (Fabretti, Glossar. Ital. 1994: „*voleo* = *valeo*" testimoniis non allatis.) „*Volusus*" melior quam *Volesus* Jordan, l. l. 106. Nihil nisi cognomen *Volusum* fuisse censet Mommsen, RF. 1, 22 adn. 30 (M. Aurel. Comment. 4, 33 nullius momenti est).

[2]) De participiis Latinis. Ind. schol. Marbg. 1883, p. VIII. adn. 2 p. XI. De Romae urbis nomine 1887, p. XV.

[3]) Mommsen, Eph. epigr. 5, 15. Bormann, Archäol.-epigr. Mitteilungen aus Oesterreich 10, 226. Birt, De Romae urbis nomine. cf. infra.

[4]) Jordan, Krit. Beitr. 106, alias.

[5]) Similia oracula, quae ad duo eiusdem nominis loca spectant, saepe inveniuntur, cf. Paus. 8. 11, 2 alia ap. Lewis, Unters. üb. d. Glaubwürdigkeit der altröm. Gesch. (übers. v. Liebrecht) 2, 350 adn.

in Tarento effosso adduntur; neque enim quisquam praeter Verrium Flaccum (ap. Fest. p. 329. cf. Pauli epit. 350 [Fest. p. 351.]) similem quandam rem commemorat, quamquam in exiguis eius fragmentis bellum inter Romanos et Albanos gestum omittitur.[1]) Valerii autem Maximi fontem Antiatem fuisse Kranz[2]) iudicat, quod exitus narrationis cum quibusdam verbis *Poplicolae* Plutarchei, quam vitam ex Antiate haustam esse infra videbimus, congruat. Fortasse Valerius Maximus fabulam non ex annalium illo auctore ipso, sed e Varrone novit sicut cetera quaecunque in capite „*de ludis*“ continentur;[3]) pro certo habendum est, ad Antiatem unum posteriores omnes referendos esse,[4]) et fortasse primus ille rem tradidit, cuius notitia adhuc Valerii (aut Varronis) aetate „*minus trita*“ erat. Attamen propter auctorem mendacem fabula ipsa non spernenda videtur; apparet enim principium ac summam eius sacra gentilicia Valeriorum esse.[5]) At quin et deorum inferorum cultus et gens, cui curae erat, Sabinae originis fuerit, dubitari non potest, nam etsi ritus sacrorum e Sibyllinorum librorum praeceptis constitutus est,[6]) tamen nequeo Marquardtio[7]) concedere, Ditis patris cultum omnino ex eorum auctoritate Romam translatum esse. Sunt in fabula Graecorum vestigia, velut Tarenti urbis notitia, sunt in sacris, velut Dis cum Proserpina coniunctus, at certo Italum numen Dis pater erat et iamdudum ab Italiae gentibus colebatur.[8]) Nonne etiam Herculi deo patrio Romae sacra Graeco ritu fiebant?[9]) Haud scio, an Prellero[10]) assentiendum sit, qui a. 505 nomina et sacra Graeca Italicorum loco posita putat; in tota vero re Sabinorum vestigia perspicienda censeo, qualia in rebus publicis privatis sacris Romanorum innumerabilia exstant.[11])

---

[1]) cf. Unger, Rhein. Mus. 35, 8. Mendelssohn (ad Zos. l. l.) Zosimum e Phlegonte Tralliano, hunc e Verrio pendere arbitratur.

[2]) Beitr. zur Quellenkrit. des Val. Max. Progr. Posn. 1876. p. 21.

[3]) cf. Krieger, Quibus fontib. Val. Max. usus sit. Diss. inaug. Berol. 1888. p. 61 sq.

[4]) Mendelssohn l. l. Preller, Röm. Mythol.[3] 2,83 adn. 2.

[5]) Mommsen, Chronol. 182. Preller, RM. 2,84. Diels, Sibyll. Blätter 50.

[6]) Diels l. l.

[7]) Röm. Staatsverw.[2] 3,365 cf. Klausen, Aeneas 1,264.

[8]) Roscher, Mythol. Lexikon 1,1179.

[9]) Marquardt, StV. 3,378 adn. 3. Preller, RM. 2,293 adn. 1. At id, quod in eius dei cultu et Romanis et nobis peregrinum videtur, tamen fortasse ex vetere ac domestico usu repetitum est cf. R. Peter ap. Roscher. l. l. 2,2928 sq.

[10]) RM. 2,87 sq.

[11]) Nullius ad hanc rem momenti est virorum doctissimorum opinio, qui rem publicam Romanam non e Sabinis et Latinis coalitam, sed illos

Imitatio fabulae, quam modo exposui, altera est, quae ut Falerios Valeriorum patriam existimemus, nobis persuadere videtur. Deecke,[1]) qui vestigium veteris moris homines immolandi in ea inesse recte cognovit, non idoneis testimoniis confirmatam eam refellit, quia ignorabat, narrationem non solum a Plutarcho (Par. min. 35.) sed fortasse etiam a Varrone[2]) traditam et imaginem eius in nummis L. Valerii Acisculi triumviri monetalis a. 708 fictam esse.[3]) In hac eaedem quae in fabula Romana insunt res: Deus Sabinus — Juno enim, quae Faleriis colebatur, Curitis est[4]) — vis nominis Valerii a valendo ducta — ludi solemnes peste exstincta instituti (Plut. l. l. cf. Ov. Amores. 3. 13,13). At cum Valerios Acisculos fuisse plebeios certa coniectura Kiesslingii[5]) constet, hanc fabulam ad exemplum veteris fabulae, quae de patricia gente est, fictam esse cognovimus.[6])

A ludis solemnibus, quos Valerii agebant, ludi saeculares originem ducebant, quos primum publice celebratos esse a. 505 Mommsen[7]) ostendit, iterum a. 608, fortasse quia post res in Africa et Graecia bene gestas magis idoneum tempus videbatur, quam tribus annis ante re publica in variis periculis versante. Ille annus ab aequalibus Pisone Gellio Hemina (ap. Censorin. De die. 17, 11) referebatur, annus 605 autem a recentioribus, qui nihil nisi legitimum centum annorum intervallum spectabant, Varrone et Livio (ep. 49). Antiatem secutis (Censorin. l. l.). Qui priorum ludorum seriem ita constituit, ut eos semper in Valeriorum consulatibus actos traderet, a. 305 (Euseb. ap. Sync. 490,12. Dind.

quoque Latinos fuisse putant. cf. Mommsen, Hermes 21, 570. Niese ap. Iw. Müller, Handb. 3,585. Hand raro gentes illae inter se permutantur cf. Ihne, Forschungen auf dem Gebiet d. röm. Verfassungsgeschichte Frankfurt a. M. 1847. p. 41 adn.

[1]) O. Müller, Die Etrusker² 2,45 adn. 18. Deecke, Die Falisker 89.

[2]) cf. quae B. Hase in Ioannis Lydi fragmento quodam (p. 335 Bekker cf. Müller, FHGr. 4. 325,25) supplevit.

[3]) Pauly, RE. 6, 2359. Babelon. Monnaies de la rép. Rom. 2,514 sq. Borghesi, Oeuvres complètes 1, 37. 491 sq.

[4]) Preller, RM. 1, 278. Deecke, Falisker 83 sq.

[5]) De personis Horatianis. Ind. schol. Gryphisw. 1880 p. 11: Pro „*Valerio Acsitulo tribuno plebis*" non „*Siculi*" cognomen — quod plane alienum est ab omnibus Valeriis e scriptoribus titulisque notis — sed rarissimum „*Acisculi*" emendandum est.

[6]) Ad nominis Valeriorum vim accedebat similitudo cum nomine oppidi Faleriorum, cui ne nimium tribuamus, nomen gentile Faleriorum monet. (cf. M. Falerius senator c. a. 650 ap. Viereck. Sermo Graecus. Gotting. 1888. p. 23,21. alii Falerii CIL. V. ind., IX. ind., VI, 17702 sq. X 5885.)

[7]) Chronol. 180 sq. adn. 350.

Hieron. 2, 105 *q.* Schoene) et a. 406 (Fest. p. 329. Zos. 2. 4,1). Hoc anno pestilentia orta Sibyllinorum librorum monitu lectisternium habitum Livius (7. 27,1) refert — quod quartum Romae habitum est[1]) — et cum lectisternia ludorum Terentinorum et saecularium propria essent, facile fieri potuit, ut Livius auctorem suum de his loquentem non recte intellegeret. Et lectisternium illud, si modo fuit, non eiusdem generis ac cetera fuisse, — si minus, ex alio fonte emanasse, inde colligi potest, quod in aliis enarrandis Livius (5. 13,6. 7. 2,2. 8. 25,1) addere solet, quotum quodque in tota serie fuerit, neque unquam nisi in primo de libris Sibyllinis aditis mentionem facit. Qua de causa hoc loco Antiatem ab eo adhibitum arbitror.

Atque ludos non secernendos esse a Valeriorum familia, adeo inter omnes constabat, ut non solum altera ludorum series in quindecimviralibus libris tradita diligenter eos cum Valeriorum consulatibus coniungeret, sed etiam P. Poplicola eos egisse putaretur, etsi inter huius viri aetatem et annum 305 sive 298 saeculum non intercedebat. In primo Poplicolae consulatu a. 245 id factum esse Verrius (ap. Cens. et Zos.) tradidit, sed annum 250 Antias elegerat, e quo Plutarchus (Popl. 21, 2 sq.) satis perturbatam narrationem — confunduntur ludi Terentini et ludi Taurii[2]) — ac Valerius Maximus hauserunt, apud quem quicquid ad rem non pertinebat, (a Varrone?) eiectum, tempus autem non mutatum est.[3]) Poplicolae ludos inveteratum errorem esse Mommsen[4]) iudicat; attamen tantum auctoritatis iis inerat, ut Claudius imperator ab anni 250 ludis principium eorum, quos ipse egit, faceret.[5]) Antias in iis fingendis ludos saeculares cum auctore gentis et initio liberae rei publicae connectere studebat et simul dimidia fere saeculi parte ab insequentibus eos distantes fecit.

De tempore, quo Valesius Sabinus ludos Terentinos instituisset, duplex erat fama.[6]) Nam Verrius, qui post bellum a Tullo rege cum Albanis gestum id accidisse narrabat,

---

[1]) Luterbacher, Prodigienglaube der Römer. Progr. Burgdorf 1880 p. 22 sq. Diels, Sibyllin. Blätter 83.

[2]) De ludis Tauriis cf. Preller, RM. 2, 92 adn. 1.

[3]) Opus non est, ut verba „*Valesii exemplum Valerius Poplicola, qui primus consul fuit*“ cum Marquardtio (StV. 3, 387 adn. 4) et Soltauio (Röm. Chronol. 1880 p. 389.) interpretemur: „Poplicola, cum primum consul esset.“

[4]) Chronol. 182.

[5]) Hirschfeld, Wiener Studien 3, 102.

[6]) Mommsen, RF. 1, 293 adn. 16. cf. 1. 22 adn. 30.

eundem Volusum Valesium Poplicolae patrem esse putabat, Antias inter eum, quem multo antiquiorem[1]) existimabat, et Poplicolam multos Valerios regum aetate florentes finxit.

Qui ex horum numero commemorantur, eos fide non dignos esse infra videbimus; semper in iis origo Sabina apparet et quia Sabinos Lacedaemoniorum prolem fabula Graeca notissima[2]) ferebat, Valerius quidam a Silio Italico (Pun. 2, 8) „*ingentis Volesi Spartana propago*“ appellatur. Si iure ex eo, quod duos tertii post Chr. saeculi Valerios in Claudia tribu fuisse comperimus,[3]) idem de prioribus colligi potest, id fortasse novum argumentum Sabinae originis est. In gentium maiorum numero eos fuisse verisimillimum est[4]) et iam extremis regum temporibus nobilitate, auctoritate, divitiis illustrissima gens praedicatur (Plut. Popl. 1,2 sq. cf. Dion. 4, 67. 5, 12).

Caput II.

De P. Valerio Poplicola.

P. Valerii Poplicolae vitam Plutarchus ut maiore viri ipsius, ita minore veritatis studio quam Livius et Dionysius rerum Romanarum scriptores conscripsit; cuius narrationem totam fere ex uno fonte fluxisse, facile ei, qui diligenter perlegerit persuadebitur, fontem illum Antiatem fuisse, Kiesslingium et H. Peterum secutus paucis ostendam. Qui quidem viri docti Antiatis fragmento septimo decimo, de quo infra disseram, non bene usi sunt, sed iure aliud quoddam fragmentum a Plinio (NH. 28, 16) auctoris nomine non addito servatum cum Plutarchi capite tertio decimo comparaverunt.[5]) Neque enim eorum opinio dubitatione Detlefseni,[6]) utrum Plinianum illud cum Plutarcho an cum Verrio Flacco (ap. Fest. p. 274) congruat, infirmatur, cum Verrius, quem in

[1]) Titi Tatii sodalem? cf. Bonghi, Storia di Roma 1, 508.

[2]) Schwegler, RG. 1, 250.

[3]) CIL. VI. 1531. 1532 cf. Mommsen, StR. 3,789. In eadem tribu Faleria quopue gens erat (cf. Viereck, Sermo Graecus p. 23, 21. supra p. 7 adn. 6).

[4]) Mommsen, RF. 1, 258. 2, 259 StR. 3, 868 adn. 4.

[5]) Kiessling, De Dion. Hal. antiqu. auctoribus Latinis. Diss. inaug. Bonn. 1858 p. 25. Peter. Quellen Plutarchs in d. Biogr. d. Römer. Halle 1865. p. 46 sq. cf. Bonghi. Storia di Roma 1, 262 adn. 2.

[6]) De arte Romanorum antiquissima. I. Progr. Glückstadt 1867. p. 8.

eadem re iterum enarranda Plinius sequitur,[1]) eam aliquantum mutaverit corruperitque, nec tamen multum a ceteris auctoribus discrepet.[2]) Fortasse Verrius quoque ex Antiate hausit.

Paulo accuratius de Plutarchi capite octavo mihi agendum est, quamquam non multum a Petero[3]) dissentio. Plutarchus enim res a Tarracia gestas secundum Antiatem refert, sed ex eo quod cum contemptu quodam addit: „*καὶ ταῦτα μὲν οὕτω γενέσθαι μυθολογοῦσι*“ colligi potest, hunc non praecipuum fontem in cuncta Poplicolae vita, sed interdum esse adhibitum. Quod refutatur Gellii capite (7. 7, 1), quo de Acca Larentia et de Gaia Tarracia agitur, diligentius examinato. Nam Gellius postquam praefatus est, utriusque mulieris res „*in antiquis annalibus*“ celebres fuisse, in priore capitis parte, quae de Acca Larentia est, Antiatem et Masurium Sabinum laudat ita, ut appareat, alios auctores ipsi ex horum scriptis notos esse. Quamobrem illud: „*Acca Larentia, ut in Antiatis historia scriptum est, Romulum regem, ut quidam autem alii tradiderunt, populum Romanum bonis suis heredem fecit*“ hac ratione intellegendum est: Apud Antiatem Gellius narrationem „*quorundam aliorum*“ reperit. Neque enim omisisset nomina Fabii[4]) et Catonis (frg. 16 Peter), qui in horum numero erant, nisi ea ignorasset. Elucet igitur, iam ab Antiate illos citatos emendatosque esse, et quoniam praeter hunc et Masurium Sabinum Gellius nullum auctorem legit, „*antiquos annales*“, qui de Tarracia quoque narrabant, aut Antiatis aut ab eo laudatos fuisse. Quodsi Plutarchus vituperare videtur eos, qui de illa „fabulati sint“, non Antiatem incusat, sed Antiatis de veteribus scriptoribus iudicium hisverbis reddit.[5])

Concludamus argumentationem: Valerius Antias gravissimus Plutarchi auctor est ita, ut ei etiam debeantur quaecunque ex aliis fontibus afferuntur. Nunc videamus, quidnam differat inter illius et horum narrationes, deinde, quis e horum numero vetustissimus cognosci possit.

Emendare Plutarchus (9, 9) studet famam, quae aliunde

---

[1]) Plin. NH. 8, 161 (ex eo Solin. 195, 1 Mommsen) cf. Jordan, Topographie von Rom 1, 1 p. 210 adn.

[2]) Jordan, ibid. 1, 2. p. 12 adn.

[3]) Quellen Plutarchs 47 sq.

[4]) ap. Plut. Rom. 5, 6 cf. Mommsen RF. 2, 10 adn. 26.

[5]) Plutarchus non raro auctores laudat, quos ipse non legit, sed apud alios laudatos reperit, velut Q. Lutatii Catuli librum de consulatu suo in commentariis Sullae cf. Peter, Relliquiae CCLXXIII.

ignota alieno a Poplicola animo erat;[1]) idem minus dilucide facit in ea vitae parte, quae ad consulatum sine collega gestum spectat. Quae res exiliter traditur a Dionysio (5, 19), qui ne orationem quidem a consule habitam, etsi eam non ignorat, refert. Itaque aut neglegentia aut errore factum esse puto, ut Valerium iam ante leges rogatas collegam sibi assumpsisse unus ille diceret neque a Licinio, quem Nitzsch Dionysii auctorem existimat, alienum est talia finxisse, quod ei probabile non erat, Valerium solum consulatum gessisse. Eadem de causa Plutarchus (11,1) mirifice et artificiose Poplicolam a crimine, quod contra leges commiserat,[2]) excusare absolvereque conatur et simul corrigere, quod scriptores huic viro iniqui (ap. Liv. 2. 8,3) referebant, eum solum omnia effecisse, „*ut sua unius in his gratia esset*“.

Magis etiam ab illis Plutarchus abhorret de domo Valeria: Ceteri enim omnes tradunt, consulem in suspicionem regni affectandi venisse primum quod collegam non suffecisset, deinde quod aedificaret in summa Velia; ex Plutarchi autem sententia (10, 3) non exstruit, sed iam diu habitavit hanc domum, et cum inde propter populi invidiam decederet, tecto carens ab amicis ut ipsum exciperent petere coactus est.[3]) Multo profecto maiorem animum praebet is, qui non de consilio, sed de iure suo desistit. Adde quod Valerius de Romanorum indignatione certior factus, ut Plutarchus (10, 5) ait, *οὐκ ἐφιλονείκησεν οὐδ' ἠγανάκτησεν*, sed ilico eadem nocte domum suam diruit et solo aequat. Contra Livius (2. 7, 9) eum querentem lamentantemque de suspicione et ingrato populi animo facit, antequam aedes de monte deferat, neque cum ullius auctoris nisi Plutarchi narratione convenit, locum consuli concessum esse, quo nova domus exstrueretur. Itaque iniuria Virck[4]) eodem fonte Plutarchum Liviumque usos, Leo[5]) Plutarchum (Quaest. Rom. 91 = Popl. 10) e Dionysio pendere putat. Immo non casu factum est, ut Plutarchus rem ita describeret, sed consilio eam mutavit, quo luculentior Poplicolae virtus appareret. Eius opinionis, cui potissimum adversatur, vestigia obscurata apud Livium (2. 7, 7. 8, 1),

---

[1]) Dubium est, an de compluribus auctoribus Plutarchus cogitet, nam saepe veteres pluralem (*λέγουσι*, *tradunt* cet.) adhibent, quamquam de uno fonte agitur. cf. Nissen, Krit. Unters. zur 4. u. 5. Dekade des Liv. 47. Gutschmid, Kleine Schriften 1, 7.

[2]) cf. Mommsen, StR^3. 1, 29.

[3]) Plut. Popl. 10, 5 sq. cf. Bonghi, Storia di Roma 1, 259 adn. 2.

[4]) Die Quellen des Liv. u. Dion. für d. älteste Gesch. d. röm. Republik. Diss. inaug. Argentor. 1877. p. 57.

[5]) De Plut. quaest. Rom. auctoribus. Diss. inaug. Hallens. 1864. p. 24.

qui compluribus narrationibus confusis sibi in iudicio suo non constabat, manifesta autem et perspicua apud Cassium Dionem (frg. 13, 2 Dind. = 12 Melber.) exstant,[1]) nulla fere apud Dionysium.[2]) Sed Plutarchi emendationes ac interpolationes tam artificiosa ratione absconditae atque velatae sunt, ut pro certo habendum sit, eas non a Plutarcho ipso vetustae narrationi insertas esse. Neque enim is scriptor est, qui tam enixe operam det, ut virum, cuius vitam describit, excuset defendatque et ex aliis Romanorum vitis velut Gracchorum Sullae Marii satis notum est, quantum in aestimandis iudicandisque hominibus e fontibus suis pendeat.

In capite decimo quarto aperte corrigit ea, quae ἔνιοι rettulerunt (Plut. 14, 3), quorum narrationem meram Livius (2. 8, 6) et Dio (13, 3 sq. Dind. = 13 Melb.) servarunt. Turpiter enim et indigne se gessit Poplicola, si collegae honorem templi Jovis Capitolini dedicandi, qui sorte ei evenerat, eripere conatus est (ἔνιοι ap. Plut. — Liv. Dio.), turpius, si ipse ei falsum nuntium misit, ut de opere coepto desisteret.[3]) Horatii autem laus eo maior fit, quod ne multis quidem hominibus fidem rei addentibus cedit (Dio cf. Cic. De domo 54, 139). Quocum comparemus ea, quae apud Plutarchum legimus: Invidisse nobiles Valerio et dum patriam ab externis hostibus defenderet, — etsi aliunde nihil de ullo bello constat, — clam honorem ei detraxisse et ad collegam detulisse; quo ingrato animo non consulem ipsum, sed fratrem eius commotum esse, ut Horatium a dedicatione templi deterrere conaretur. Illud saltem ne Plutarchus quidem negat, falsum fuisse nuntium, sed dubitat an crediderit Horatius.[4]) Poplicolam igitur defendit a crimine vetustioris cuiusdam auctoris, cuius cum ipsa verba non nomen afferat, narrationem in fonte suo reperisse videtur.

Totam Poplicolae vitam hac ratione perscrutari longum est; quibus fontibus Livius Dionysius Plutarchus usi sint, hisce

---

[1]) Dionem in iis libris, qui ad res antiquissimas pertinent, optimis fontibus usum esse constat cf. velut Niebuhr, Vorträge üb. RG. 1, 20. 62. Schwegler, RG. 1, 125. 2, 25. Peter, Rell. hist. Rom. adn. ad Fab. frg. 4. 12. 14. 17. Recentiorum auctorum, maxime Antiatis, narrationibus opposita sunt, quae de Manlio Capitolino (frg. 26, 1 sq. Dind. = 25, 1 Melb. cf. Mommsen, RF. 2, 188 sq.) et quae de Papirio Cursore Dio (fr. 36, 1—7 Dind. = 33, 1—7 Melb. cf. Liv. 8. 35, 3) tradit.

[2]) Nitzsch, Röm. Annalistik. 38 adn. 1.

[3]) Dio cf. Liv. 2. 8, 7: *„Valerii postquam alia frustra temptati erant.“*

[4]) Popl. 14, 8. cf. Liv. 2. 8, 8. Serv. Aen. 11, 3. Virck, Quellen des Liv. u. Dion. 34.

accuratius perspici potest: Ad verbum congruunt quae de Silvano [1]) Livius (2. 7,2) et Plutarchus (9,6) tradunt, ille additamenti loco ex altero fonte deprompti, hic voce „λέγουσιν" nihil nisi fabulosa ea appellans. Bellum cum Etruscis gestum Graecus auctor paulo brevius narrat, quod vitam Poplicolae scripsit non historiam Romanam. Recentiore autem fonte Dionysius (5, 16) usus aut Silvanum aut heroa quendam (cf. 5, 14) loquentem facit et de castris Etruscis captis aliquantum copiosius refert.[2]) In iis, quae de Bruti funere Dionysius (5, 17 cf. 5, 48) et Plutarchus (9, 10) tradunt, non tam de honoribus consuli mortuo habitis, quam de praeclara laudatione collegae superstitis loquuntur (cf. Liv. 2. 7, 8. 16, 7). Apud Plutarchum (12, 5. cf. Cic. Rep. 2. 31, 55)[3]) Valerius primus Lucretio collegae quippe maiori natu fasces concedit, apud Livium (2. 1, 8) Brutus Collatino. Hoc loco Livius sine dubio veteres illos auctores, i. e. Gracchanae fere aetatis, sequitur, apud quos Lucretium non invenerat (cf. 2. 8, 1); is enim nulla alia de causa fictus est, quam ut posteriorum temporum morem illustraret.[4]) Atque quo maior videretur gratia, in quam Valerius cum populo rediret, Plutarchus iam a fascibus contioni summissis Poplicolam eum appellatum esse dicit, non a legibus ut ceteri scriptores (Cic. Rep. 2. 31, 53. Liv. 2. 8, 1. Dion. 5, 19) volunt.

Hasce discrepantias veterum et recentium auctorum attulisse satis est; de nonnullis aliis infra agam, nunc ostendere conabor sicut ex his Antiatem, ita ex illis Pisonem cognosci posse. Cuius apertissimum vestigium in Plutarchi capite decimo quarto, de quo supra disputavi, exstat. Nam Plutarchus (14, 1), cum commemorat templum Capitolinum votum esse a Tarquinio Prisco, exstructum a Superbo, qui „*aut filius aut nepos*" fuerit Prisci, paucis his verbis attingit gravissimam quaestionem. Et paulo accuratius haec tractanda fuerat scriptori, qui discrepantes priorum sententias ante oculos habebat; Plutarchus autem, cum ea re non offenderetur, certo eam ignorabat neque ex sua lectione, sed ex fonte quem

[1]) Omisit Livivs casu terrae motum, Plutarchus nomen Silvani quod ignorabat; neque enim in eius scriptis legitur nisi Par. min. 22. e Graeco fonte: *Αἰγίπανα, κατὰ τὴν Ῥωμαίων φωνὴν Σιλουάνον.*

[2]) 5, 16 fin, cf. Plut. 5, 7. Nitzsch, Annalistik 37 sq.

[3]) Cicero (l. 1.: „*ne plura insignia essent imperii*" cet.) et Plutarchus (10, 2: „*ὑπὸ ῥάβδοις ὁμοῦ πάσαις καὶ πελέκεσι [Ποπλικόλαν] κατιόντα μόνον*") cogitare videntur, duos consules viginti quattuor fasces gessisse, quod Livius (2. 55, 3) quoque Antiatem secutus (cf. Nitzsch, Annal. 86 sq.) tradit. Narrationes inter se repugnantes artificiose conciliat Dionysius (5, 2 et 19).

[4]) Mommsen, StR. 1, 40 adn. 4.

sequitur, diversas opiniones adnotavit. Neque enim ullus annalium scriptor Tarquinium Superbum nepotem Prisci putabat nisi Piso,[1]) quem Plutarchus omnino non legisse videtur.[2]) Alterum Pisonis vestigium invenitur in iis, quae de Collatino Plutarchus narrat ex recentiore quam Livius, sed ex antiquiore fonte quam Dionysius.[3]) Nam ad Pisonem spectat, quod dicit, Collatinum civibus invisum fuisse non solum propter necessitudinem regum, sed etiam *„propter nomen Tarquinii"*[4]) et nequaquam cum ipsius narratione id apte coniungi potest.[5]) Hanc quoque opinionem Plutarchus, si ipse Pisonem legisset, ut discrepantem a sua induxisset. Tertium accedit argumentum quod Plutarchus (15, 5) in templo Capitolino aedificando eandem summam pecuniae consumptam esse dicit, ac Piso (frg. 16).

Haec hactenus. Satis enim mihi demonstrasse videor, Pisonem non a Plutarcho sed a fonte eius Antiate partim adhibitum partim emendatum esse, cuius rei alia quoque testimonia non desunt.[6]) Et Piso quidem — nam quae scriptores hoc vetustiores narraverunt, plane interierunt — Poplicolam descripserat patricium superbum plebique invisum, qui iam in eo erat, ut summa rerum potiretur, sed suo tempore periculo quod imminebat perspecto de coepto opere destitit et in gratiam cum vulgo rediit. Ut hanc imaginem viri splendidiorem redderet, summam operam Valerius Antias consumpsit et cum lineamenta eius mutare non posset, tamen candidissimos colores ei inducere conatus est. Neque enim gravissimae res sunt, quas alia ratione ac Piso narrat, sed consilium virum illum excusandi et defendendi manifestum est et profecto prospere ei successit, iudicium vulgi perturbare. Nam non solum Romani summum virum, liberatorem patriae, qui sapientissimis legibus rem publicam constituisset, venerati sunt, sed etiam huius aevi homines Antiatis narrationi nimiam fidem habuerunt.

Niebuhr[7]) enim primus censuit, Valeriam gentem post reges exactos et ante liberam rem publicam institutam sum-

---

1) frg. 15, cf. Schwegler, RG. 1, 732 adn. 3.
2) Peter, Quellen Plutarchs 170 sq. 172.
3) Nitzsch, Annal. 32. 37. Virck, Quellen des Liv. u. Dion. 57.
4) Schwegler, RG. 2, 82 adn. 3.
5) ibid. 2, 44 adn.
6) Liv. 25, 39,15. cf. Peter, Rell. CLXXXXVIIII. Hesselbarth. Dritte Dekade. 394. Piso. frg. 11 cum Ant. frg. 7—10. comparatum cf. Peter Rell. adn. ad. l. l.
7) RG. 1⁴,564. sq.

mum in civitate imperium obtinuisse. Longe studiosissime Niebuhrio assensus est Ihne,[1]) cautius Schwegler,[2]) post hos Bertolini.[3]) Qui viri docti dictatoria potestate indutum Poplicolam rem publicam constituisse putant, contra Lange hanc[4]) opinionem a veterum narrationibus abhorrere arbitratus lege curiata de imperio lata eum ad id mandatum fuisse existimat.

At cum rebus Romanis, quales Tarquiniis expulsis erant, nequaquam coniungi potest unius viri imperium. Jure Ihne refellit quae apud Dionysium leguntur, Brutum statim orationem de re publica constitutenda habuisse, sed similitudines ab eo allatae[5]) nihil nos movent, ut dictatorem Poplicolam fuisse credamus. Prorsus negandum est, eundem esse Poplicolam et M. Valerium, confusas esse et seditionem, qua Tarquinii eiecti sunt, et secessionem plebis.[6]) Neque ex eo quod iam veteres velut Dionysius (5,73) et Plutarchus (Comp. Sol. et Popl.) Poplicolam cum viris Graecis, qui leges scripserunt, vel cum aesymnetis comparabant, quicquam colligendum est. Plebem cum optimatibus in gratiam reducere aesymnetarum munus erat[7]) nec tamen unquam ulla civitas uni viro totam se commisit ilico post alterum dominum expulsum; neque rerum Atheniensium similitudinem, quam Bertolini[8]) affert, neque Langii iudicium comprobare possum. Iniuria Schwegler[9]) quoque Poplicolam cum iis comparat, qui in Graecia ex plebis ducibus tyranni facti sunt, nam argumentum, quo potissimum nititur, illum fasces concilio populi i. e. patriciorum summisisse, iam a Mommseno[10]) redargutum est.

Transeamus a condicione universa civitatis ad virum ipsum: Nihil apud scriptores legimus, quo Valerium antequam consul subrogaretur potentia et auctoritate illustrem fuisse aut postea bellicam gloriam sibi paravisse appareat: Neque sub regibus munus gessisse, ut Brutus Collatinus Lucretius, neque Tarquiniis cognatus fuisse neque in iis expellendis praeclarum facinus edidisse fertur, sed casu Collatiae morans neci Lucre-

---

1) Forschungen. 43 sq. cf. RG. 1,107.
2) RG. 2,90.
3) Saggi critici di storia Italiana. Mediolan. 1883. p. 28.
4) Röm. Altertümer.³ 1,575.
5) Ihne, Forschungen. 44.
6) ibid. 47.
7) cf. Gilbert, Griech. Staatsaltertümer 2, 279 sq. Busolt, Griech. Gesch. 1, 438 sq.
8) Saggi critici 31 sq.
9) RG. 2, 84 sq.
10) RF. 1, 169 sq. StR. 3, 149 adn.

tiae interest, nihil autem dicit facitve ullius momenti.[1]) Unus Plutarchus refert ditissimum et sapientissimum hominem iamdudum Valerium ab omnibus habitum esse, ab eo Brutum consilia petisse, eius prudentia Vitelliorum coniurationem oppressam, ad eum laudem omnium fere bellorum cum Latinis et Sabinis, cum Veientibus et Porsena rege bene gestorum transfert, ab eo Atto Clauso ut Romam migraret persuasum esse. Poplicolae idem scriptor attribuit leges institutaque innumerabilia fere, de quibus infra pauca dicam, summos praeterea honores. E multis his rebus nihil fere credibile est, nam a Valerio Antiate fabulae veteres ita corruptae sunt, ut Valerii laus semper maxima et splendidissima appareat. Imprimis eximii honores, quibus homo ille affectus esse fertur, causam praebuerunt eius virtutem fictis narrationibus augendi et exornandi.

Velut Mommsen[2]) optime cognovit, magnam fabularum partem fictam esse, ut Poplicolae cognomen explicaretur. Nam re vera id a vocibus „*populus*" et „*colere*" derivatum esse contra Ihnium,[3]) qui praenominis *Publii* diminutivum id esse voluit, Schwegler[4]) iure contendit, sed qua de causa Valerio datum sit non constat. Tamen verisimillimum mihi quidem videtur, causam fuisse legem celeberrimam de provocatione latam.

Summum deinde momentum a Niebuhrio[5]) et iis, qui eum sequuntur[6]) aedibus Valerii in Velia sitis tribuitur: Ibi enim habitasse quondam reges[7]) et in regum aedibus Poplicolam, quia in eorum locum successisset. Itaque Ihne et Bertolini fidem habent iis, quae certo quodam consilio ductus Antias finxerat. At complures iam viri docti[8]) cognoverunt, nihil veri in tota narratione inesse nisi domum ad forum sitam. Cuius locum Valeriae genti publice datum esse fingebatur — quo honore aliae quoque familiae et singuli viri affecti sunt[9]) — deinde explicandum erat, qua de causa id factum esset. Fabula igitur fabulam excipiebat: In memoriam veniebant Sp. Cassius, Sp. Maelius, M. Manlius et iis Valerius Poplicola

[1]) cf. Liv. 1. 58, 6, Dion. 4, 67. Bonghi, Storia di Roma 1, 252 sq.
[2]) RG. 1, 246 adn. 465. StR. 3, 209 adn. 3.
[3]) Forschungen 47 adn. 55.
[4]) RG. 2, 86 adn. 2, cf. Mommsen, StR. 3, 301 adn. 4. Hinc elucet, „*Poplicolam*", non „*Publicolam*" scribendum esse, cf. Bonghi, Storia di Roma 1, 458 adn. 3.
[5]) RG. 1, 564.
[6]) Ihne, Forschungen 49, Bertolini, Saggi critici 28.
[7]) cf. Schwegler, RG. 2, 49 adn. 1, Jordan, Topogr. 1, 1 p. 155.
[8]) Mommsen, CIL. I, p. 285, Jordan, l. l. 1, 1 p. 90 adn. 64. 1, 2 p. 416 adn. Gilbert, Gesch. u. Topogr. d. Stadt Rom 1, 106 adn. 3.
[9]) Jordan, l. l. 1, 1 p. 509 adn.

boni civis exemplum opponebatur; Velia foro imminens fingebatur, etsi nihil periculi urbi praebebat.[1]) Magis vero animos movit, quod Valeriis antiquitus licuit mortuos in urbe atque adeo in ipsa domo sepeliri (Cic. De leg. 2. 23,58 Plut. Quaest. Rom. 79), etsi multis legibus priscis vetitum erat, ne id fieret.[2]) Et Romani hoc propter summa de re publica merita genti concessum esse putabant, quia explicare non potuerunt antiquissimorum temporum consuetudinem, cuius et apud ipsos et apud Graecos et apud alias nationes non ita pauca vestigia supersunt.[3]) Valeriorum hoc privilegium fortasse cum deorum inferorum cultu cohaeret, nam in rebus sacris maxime servatur priscae aetatis memoria.[4])

Neque quod e quattuor Poplicolae consulatibus Niebuhr[5]) de Valeriorum regno, ut ita dicam, collegit, magni momenti est, quoniam magistratus continuari illa aetate licebat.[6]) Equidem summam vim attribuendam puto Polybii loco notissimo (3. 22,1), quo Brutum et Horatium primos consules fuisse tradit.[7]) Nihil enim refert utrum Polybius hos consules in foedere Carthaginiensi repererit necne; concedendum profecto erit, ab eo servatum esse bonum testimonium, quod omnia reliqua longe superet.[8]) Atque eo magis adducor, ut optimo huic auctori fidem habeam, quod templi Capitolini titulus id affirmabat (Dion 5,35). Nam fabula vulgo credita propterea explicare studebat, cur Horatii non Valerii consulis nomen in eo scriptum esset. Ex quinque igitur primi anni consulibus Brutus et Horatius minus fabulosi sunt, quam ceteri,[9]) Tarquinius Collatinus propinquus regum singularem obtinet locum.[10]) Inter se coniuncti supersunt Lucretius prioribus auctoribus non notus et Valerius, quorum nomina non solum a. 245, sed etiam a. 246 et 250 in fastis consularibus leguntur. Ac quamquam fieri potuit, ut inde in primum annum transferrentur, tamen

[1]) cf. Jordan, l. l. 1, 2 p. 419.

[2]) cf. Daniel-Lacombe, Le droit funéraire à Rome. Paris 1886. p. 58. 59 adn. 4.

[3]) Suet. Tib. 1, cf. Daniel-Lacombe l. l., Mommsen, StR. 1, 442 adn. 1, Ersch u. Gruber, Encyklopädie sect. I, tom. 77 p. 170. 174. 177. Hübner, Hermes 15, 67.

[4]) cf. Helbig, Italiker in der Poebene p. 4.

[5]) RG. 1, 563 sq.

[6]) Mommsen, RF. 2, 407 sq., StR. 1, 517.

[7]) Valerium et Horatium primos consules fuisse F. Cauer (Fleckeisens Jahrb. 1884 p. 169) putat, quod mihi quidem nec credibile nec certis argumentis ab eo probatum videtur.

[8]) cf. Hirschfeld, Philologus 34, 92 adn. 8.

[9]) cf. Soltau, Röm. Chronol. 475.

[10]) cf. Bertolini, Saggi critici 30. alios.

probabilius mihi videtur, nomina boni ominis Valerii a *valendo,* Luretii a *lucro* derivata[1]) in fastorum exordio esse scripta.

Fabularum igitur turba, qua Valerii res exornabantur, a perpaucis elementis videtur repetenda; is autem, qui e veterum narrationibus hunc virum cognoscere vult, non Antiati, sed Pisoni fidem habeat.

Caput III.

De M. Valerio Maximo.

Antiquissimorum Valeriorum stemma, quale ab annalium scriptoribus fingebatur, melius quam Drakenborch[2]) composuit Borghesi,[3]) quem Mommsen[4]) maxima ex parte secutus est; sed e magno numero liberorum Poplicolae unus Publius fide dignus est, e fratribus unus M. Valerius Maximus.

Et quibus locis ante annum 249 is commemoratur, eos omitti licet, quippe qui omnes e Licinio et Antiate fluxerint,[5]) inde ab hoc anno autem plerique auctores distinguunt viros tres: M. Valerium consulem a. 249, Marcum vel Manium Valerium dictatorem a. 260, M'. Valerium primum dictatorem, de quo postremo agam, quoniam Livius (2. 18,6) hunc „*apud quosdam*“ a se inventum dicit.

Ac consuli quidem a Livio (2. 16,1) Dionysio (5,37) Plutarcho (Popl. 20,1) praenomen tribuitur Marci, cognomen nullum, sed quo accuratius eum significent, *Poplicolae fratrem* appellant. Chronographus,[6]) qui „*Voleto*“ exhibet, aut *Volusi* cognomen in fonte suo legit, quod ea de causa in fastis suppletur, aut pro cognomine omisso praenomen patris

---

[1]) De Valerio similem opinionem protulit Mommsen (StR. 3, 301 adn. 4), a quo paulum dissentio. De Lucretio cf. Dion. 5, 11: *Λουκρήτιος . . . λόγον αἰτησάμενος παρ' ἀμφοτέρων τῶν ὑπάτων καὶ τυχὼν τῆς ἐξουσίας ταύτης πρῶτος, ὥς φασιν οἱ Ῥωμαίων συγγραφεῖς* et „lacus Lucrinus“ ap. Fest p. 121.

[2]) Adn. ad Liv. 3. 25, 3.

[3]) Oeuvres 9, 41 sq. 44. cf. Bonghi, Storia di Roma 1, 509.

[4]) CIL. I. p. 284.

[5]) Dion. 5, 22. 23. Plut. Popl. 5, 1. 14, 6.

[6]) CIL. I. p. 486. E reliquis scriptoribus Eutropius (1. 11, 3) consulum nomina silentio praeterit, res ab iis gestas narrat, Cassiodorius anno 247 omisso, ut quattuor Poplicolae consulatus serventur, hunc consulem anno 249 adnotat, Zonaras (7, 13 p. 124 Dind.) Plutarchum sequitur. cf. A. Schmidt, Quellen des Zonoras. in ed. Dindorf. vol. VI, p. XXXIII.

falso transscripsit. Eundem *M. Valerium consularem virum* in pugna Regillensi cecidisse tradunt Livius (2. 20,1 sq.) et Dionysius (6,12) Antiatem secutus.[1]) Et cum Plutarchi vitam Poplicolae ex Antiate haustam esse constet, videmus eum rettulisse haec fere: M. Valerium Poplicolae fratrem consulem a. 249 bis vicisse Sabinos, triumphi honoribus aedibusque donatum, postea ad Regillum lacum occisum esse. Haec de consule Antias tradidit, de dictatore autem, ut Hirschfeld[2]) optime perspexit: Manium Valerium Maximum dictatorem a. 260 vicisse Sabinos, plebem de sacro monte deduxisse et cum patribus reconciliasse sellaque curuli in spectaculis posita honoratum esse.

Jam examinandum est, num res ita se habuerit. Cum iis, quae de aedibus consuli datis[3]) Plutarchus (Popl. 20,3 et 4) affert, congruit Antiatis fragmentum (17) ab Asconio (in Pison. p. 12 Kiessl.) servatum, sed virum eo honore affectum *Valerium Maximum* appellat. Quamobrem Hirschfeld[4]) ad dictatorem id spectare putat, de quo aliunde nihil eiusmodi notum est; equidem malim ad opinionem Cichorii[5]) accedere, qui ab Asconio complures narrationes confusas et in nomine erratum esse putat. Parum enim verisimile est, quod Hirschfeldii opinione comprobata assequimur, idem ornamentum ab Antiate non duobus, sed tribus Valeriis tributum esse. Comparemus praeterea cum Plutarcho ea quae ex Varrone Asconius adnectit.

Plut. Popl. 20,3: (M. Valerius, quia Sabinos vicerat) *γέρας ἔσχεν οἰκίαν αὐτῷ γενέσθαι δημοσίοις ἀναλώμασι ἐν τοῖς Παλλατίοις.*

10,6. *τόπον ἔδωκεν ὁ δῆμος αὐτῷ* (sc. Poplicolae) *καὶ κατεσκεύασεν οἰκίαν, ὅπου νῦν ἱερόν ἐστιν Οὐίκας πόκας* (codd. *Πότας*?) *ὀνομαζόμενον.*

Ascon. p. 12: „*Varronem tradere, M. Valerio, quia Sabinos vicerat, aedes in Palatio tributas Julius Hyginus dicit in libro priore de viris claris* (frg. 2 Peter) *[et] P. Valerio Volesi f. Poplicolae aedium pub[lice lo]cum sub Veliis, ubi nunc aedes Victoriae est, populum ex lege quam ipse tulerat concessisse.*“

Nonne ita Asconius et Plutarchus congruunt, ut ex eodem fonte eos hausisse appareat? Nam quod Varro de loco Poplicolae dato (cf. Cic. De harusp. resp. 8,16), non de aedibus exstructis loquitur, ut Lichtenfeldt[6]) monet, non ita

[1]) Kiessling, De Dion. Hal. auct. Lat. 23. Virck, Quellen des Liv. u. Dion. 54.

[2]) Philologus 34,85 sq.

[3]) De insigni honore quod aedium fores in publicum versus aperiebantur cf. Marquardt, Privatleben der Römer 229 adn. 5.

[4]) Philologus 34,91.

[5]) De fastis 184 adn.

[6]) De Asconii fontibus ac fide. Diss. inaug. Wratisl. 1888 = Breslauer philol. Abhandl. 2, 4 p. 77.

multum valet. Neque enim mera incorruptaque Antiatis narratio servata est et facile fieri potuit, ut Plutarchus aliquid adderet, multo facilius, ut apud Asconium res paulum mutaretur, cum ex Antiate ad Varronem, ex Varrone ad Hyginum, ex Hygino denique ad Ciceronis scholiastam pervenisset.[1]) Antias igitur et de Poplicola et de M. Valerio idem narravit, utrum primus an vetustiorem auctorem secutus non constat; Dionysii (5,39) fons, qui de aedibus Marco datis idem rettulit, certe eum aetate non superabat.[2])

Bellum a. 249 cum Sabinis gestum[3]) Livius breviter, Dionysius fuse et exornate describit, sed uterque tradit, quod fasti quoque triumphales (CIL I. p. 454) adnotant, a duobus consulibus triumphatum esse, cum Plutarchus uni Valerio laudem belli tribuat.[4]) Utrum ex eo, quod Plutarchus cum Dionysio partim congruat, partim ab eo discrepet,[5]) colligi possit Antiatem iam a Licinio adhibitum esse, quod Nitzsch,[6]) an utrumque ex eodem fonte hausisse, quod Virck[7]) voluit, diiudicare meum non est.

---

[1]) Cuius rei argumentum est, quod apud Asconium novum *Victoriae* nomen pro vetere nomine *Vicae Potae* (Plut. Liv. 2. 7,12 cf. Preller, RM. 2, 245) legitur, a cuius sacello ipsorum aedibus vicino Poplicolae posteri cognomen „*Potitorum*“ accepisse videntur. Lex autem, quam Asconius significat (cf. Lange, RA. 2, 607) fortasse Poplicolae ab Antiate attributa et casu a Plutarcho omissa est. Plinius (NH. 36, 112) qui multo magis confundit ea, quae ad utrumque Valerium pertinebant, Varronem sequitur. cf. Lichtenfeldt, l. l. 78 adn. 4, Oehmichen, Plinian. Studien. Erlangen 1880, p. 206 sq.

[2]) Taurus ille aheneus, apud quem domum Valeriam sitam fuisse Dionysius dicit, a. 652 e Cimbrorum praeda Romam deductus erat. Quae Detlefseni (De arte Rom. ant. III. 1880 p. 9) coniectura confirmatur eo, quod taurus in Catuli domum portatus est (Plut. Mar. 23, 6), quae et ipsa sicut Valeria in Palatio sita erat (Plin. NH. 17, 2). Dionysii igitur auctor post a. 652 scripsit.

[3]) Nequeo laudare ea, quae Ihne (Forschungen 40 adn. 50, RG. 1, 91) de bellis a Valeriis consulibus et dictatoribus cum Sabinis gestis indicat, quia gentium Romanarum commentarii domestici mihi quidem nequaquam satis bonis testimoniis comprobati videntur, ut inde quicquam concludatur.

[4]) Acta triumphorum hoc anno cum Livio, insequenti cum Plutarcho (Popl. 23, 3) congruunt. Hi enim tradunt, Poplicolam solum, Livius (2. 16, 6) et Dionysius (5, 43), utrumque consulem triumphasse. Quem triumphum de *Sabinis et Veientibus* actum fasti triumph. scribunt, aut quia secundum quosdam annales Veientes Fidenatibus auxilio venerunt (Henzen, CIL. I. p. 462) aut illi falso pro his positi sunt (Dion. Plut.). Quam parva omnino actis triumphorum fides habenda esset, primus Niebuhr (Vortr. über RG. 1, 10, cf. Schwegler, RG. 2, 30) perspexit.

[5]) cf. Kiessling, De Dion. Hal. auct. Lat. 22. Virck, Quellen des Liv. u. Dion. 60.

[6]) Annalistik saepissime, velut p. 352 sq.

[7]) Quellen des Liv. u. Dion. 71.

Unde fluxissent quae de M. Valerii nece narrantur, Hiller[1]) bene cognovit: Auctores Romani imitantur Homerum (Il. 3,15) atque ut dubium est, an Ennius primus Graecos illos versus transtulerit,[2]) ita non dubium, quin fide digna narratio non sit. Sed qui dictatorem anni 260 *Manium* appellant, elogium XXIII (CIL I. p. 284 = XI. 1826) acta triumphorum (CIL I. p. 454), Dionysius (6,39. 57. 69. 71), Plutarchus (Coriol. 5,2 codd. *Μάρκιος*, emend. Hirschfeld, Philologus 34,87), difficultatem evitarunt, quae *Marci* praenomine apud Ciceronem Livium Dionem servato oritur. Et de Cicerone infra videbimus, apud Livium (2. 30,5) autem praenomen mutare dubitem Orosii (2. 5,5) et codicum auctoritate nisus, etsi fieri potest, ut corruptum sit, cum hoc uno Livii loco inveniatur. Qui auctor haud scio an alio quodam modo duos Marcos Valerios distinxerit: Dictatorem enim „*Volesi filium*" appellat (2. 30,5), consulem autem eadem ratione significat uno loco ex Antiate hausto (2. 18,6 cf. infra), sed in ea, quam e vetustioribus fontibus deprompsit, narratione (2. 20,1) „*Poplicolae fratrem*". Quam rem casu accidisse putares, nisi accederet Dionis testimonium,[3]) a quo dictator *ἐκ τῆς Ποπλικόλα συγγενείας* appellatur. Et cum iam antea cognoverimus, Dionem bonis et vetustis annalibus usum esse, id quoque ex iis fluxisse credemus. Quem auctorem in prima secessione describenda secutus sit, elucet ex eo quod d u o s tum tribunos plebis creatos esse refert;[4]) unus Piso (frg. 12) id narravit. Quocum convenit, quod Dio (17,14 Dind. = 16,13 Melb. Zon. 7,14 p. 130,20 sq. Dind.) in tribunos vehementissime invehitur et plebem quam infestissime describit (17,9 Dind. = 16,9 Melb. Zon. p. 128,20). Semper fere a Dionysio discrepat, maxime cum simplici ac vetusta narratione Liviana congruit. Haec fere summa erat earum rerum, quas Piso tradidit: M. Valerius gentilis erat Poplicolae, dictator Sabinos vicit, ob id Maximus appellatus est; frustra opera data, ut patres plebemque inter se conciliaret, magistratu se abdicavit. At quamquam in Pisonis annalibus M. Valerius optime de re publica meritus descriptus erat, tamen Antias eius laudem augere studebat.

---

[1]) Commentationes Mommsenianae 747. cf. Zarncke, Comment. Ribbeckianae 275. 323 adn. 2.

[2]) cf. Zarncke, ibid. 276.

[3]) ap. Zon. 7, 14, p. 127, 24 Dind., cf. Niebuhr, RG. 1, 565 adn. 1197.

[4]) ap. Zon. p. 130, 10, cuius verba Mommsen (StR. 2, 275 adn. 3) non recte interpretatus est; longe anteponenda est opinio Schwegleri (RG. 2, 271 adn. 1, cf. Peter, Rell. adn. ad Pis. frg. 23). Quem in montem secessio facta sit, ex Dione et Zonara cognosci non potest.

Is enim auctor mentitus est, non Menenium Agrippam, sed M.'Valerium dictatorem plebem de sacro monte reduxisse, nam eum fontem esse elogii XXIII Hirschfeld[1]) et Ciceronis (Brut. 14,54) Jordan[2]) ostenderunt. Apud oratorem, qui de bello a dictatore gesto non loquitur, legimus *Maximi* cognomen huic propter plebem reductam tributum esse; idem implicite in elogio inest, quo *Maximus* appellatur. Ex hoc et Verrio Flacco (ap. Fest. p. 344) non apparet, qua de causa locus ad spectaculum Valerio datus sit,[3]) sed Livius, qui in hac narrationis parte ad res foris gestas pertinente Antiatem sequitur,[4]) ob victoriam de hostibus externis reportatam id illi contigisse dicit. Cum Cicerone plane consentit Plutarchus (Pompeius 13,5), qui etsi Antiate ipso non usus est, tamen ab eo pendet. Nam Antias cum Pisonem adhiberet, sine dubio non ignorabat, ex huius (frg. 22) sententia plebem Aventinum insedisse atque ut Livius hanc discrepantiam diligenter adnotat, ita multorum scriptorum consuetudini magis consentaneum erat, eam cum narratione ceterorum fontium in unum coniungere.[5]) Quamobrem Antiatem primum tradidisse puto, a plebe montem sacrum prius, deinde Aventinum occupatum esse. Ita enim res narratur a Cicerone (Rep. 2. 33,58) et Sallustio (Hist. frg. 1,10 p. 12 Kritz), quorum uterque, cum eam paucis attingeret, certo non complures auctores perscrutatus, sed unum secutus est. Ciceronis duo illi loci, quibus de prima secessione agitur, ex Antiate manarunt, Sallustius autem, quem ab eodem pendere puto, auctor est priorum capitum „*Pompeii*" Plutarchei,[6]) in quibus de Valerio dictatore idem traditur atque a Cicerone et in elogio.[7])

Dionysius unde hauserit, affirmare non ausim, nam etsi narratio eius similis est Antiatis,[8]) tamen Dio (17,12 Dind. = 16,2 Melb. Zon. p. 130,3) quoque, qui Pisonem sequitur, ple-

[1]) Philologus 34, 85 sq.

[2]) Hermes 6, 196 sq. 198.

[3]) Huic Valeriorum privilegio sicut aliis (cf. supra p. 16) nimia vis tributa est; errat enim Niebuhr (RG. 1, 564 cf. Bertolini, Saggi critici 30 adn.), qui nullum praeterea eius honoris exemplum exstare putat. Sedes in circo Aeliae genti propter virtutem data est (Val. Max. 4. 4,8) similesque honores aliis viris habiti sunt. cf. Mommsen, StR. 1, 452.

[4]) 2. 31,3 cf. Virck, Quellen des Liv. u. Dion. 30. 68.

[5]) Idem in Collatini rebus Antias conatus erat. cf. supra p. 14.

[6]) cf. Peter, Quellen Plutarchs 113.

[7]) Elogium hanc rem minus gravem non commemorat, fortasse quia Aventinus mons postea plebi concessus urbis pars putabatur.

[8]) Hirschfeld, Philologus 34, 89 sq. Haud scio an multae res opinionem saepe reiectam nec tamen plane refellendam confirment, iam Licinium Antiate usum esse.

bem gravi faenore tum liberatam esse tradit. Apud hunc igitur annalium scriptorem Antias elogii et Ciceronis[1]) fons id reperisse videtur.

Eadem ratione qua in Poplicolae rebus examinandis eo pervenimus, ut vetustiorum i. e. Pisonis et recentiorum i. e. Antiatis annalium narrationes secerneremus; iterum videmus, gloriam Valerii dictatoris ab hoc valde auctam esse. Neque enim prisca fabula tradebat, ab eo viro concordiam inter cives restitutam esse, sed res foris ab eo gestas solas narrabat praedicabatque. Et quamquam Antiati non contigit, ut mendaciis suis illam plane obscuraret, tamen satis multa eorum exstant vestigia.

Quibus rebus in tam fabulosa aetate omnino fides habenda videatur, difficillima est quaestio. Intercedit similitudo quaedam inter ea quae Dionysius de proelio a. 249 cum Sabinis commisso et quae Livius minus copiose de bello anni 260 exponit. Inde facile colligi potest, unum bellum diversis annis bis narratum esse, deinde ex uno belli duce duos eiusdem nominis factos esse. Quare non ad illam virorum quorundam doctorum opinionem adducimur, unum M. Valerium et a. 249 et a. 260 Sabinos vicisse, sed eum semel — quo anno non constat — id fecisse. Praenomen huic viro fuisse *Marco*, Manium ab Antiate fictum esse censeo.[2]) M. autem Valerius Maximus alterius stirpis gentis Valeriae auctor est, in qua *Marci* praenomen semper fere filio maximo natu dabatur; sed utrum P. Poplicolae frater fuerit an eorum familiae iam diutius seiunctae fuerint, incertum est.

In dubium quoque ab Hirschfeldio[3]) vocatur, an M. Valerius augur a. 291 mortuus (Liv. 3. 7,9) idem fuerit, quem elogium augurem appellat. Fieri tamen potuit, ut qui in flore aetatis magistratibus fungebatur triginta annis post diem supremum obiret, sed res nullius est momenti.

Summo iure Hirschfeld[4]) contra Mommsenum[5]) iudicat, M'. Valerium M. f. Volesi n., quem primum dictatorem Livius (2. 18,6) *ex quibusdam annalibus* et Verrius (ap. Fest. p. 198) afferunt, ab Antiate excogitatum esse, ut eius gentis vir et

[1]) Rep. 2. 34, 59 cf. Schwegler RG. 2, 259 adn. 1.

[2]) Ex hac argumentatione sequitur *Marcum* pro *Manio* apud unum Ciceronem falso scriptum esse aut eius aut librarii errore. Valerius Maximus (8. 9, 1), qui e Cicerone hausit (cf. Zschech, De Cicerone et Livio Valerii Max. fontibus. Diss. inaug. Berol. 1865 p. 21) nihil nisi nomen gentile exhibet.

[3]) Philologus 34, 88.

[4]) ibid. adn.

[5]) CIL. I. p. 557.

boni ominis nomen primum dictatoris locum tenuisse videretur. Atque iniuria Mommsen[1]) putat, Valerii dictaturam in certo fixoque anno positam non esse et O. Mülleri[2]) coniecturam anni 253 ut acutam, ita satis dubiam videri. Sed cum Livius (2. 18,4) commemoraverit *nec quo anno nec quis dictator primus dictus sit, inter auctores constare,* vix credibile est, unam eorum dissensionem sc. de nomine additam, alteram sc. de tempore omissam esse, sed magis probabile, eum, qui M'. Valerium posuerit, de anno cum primario Livii fonte congruisse. Et quoniam Virck[3]) bene exposuit, quos auctores praeter Antiatem Livius adhibuerit, hoc tenendum est: Primus dictator fuit secundum Fabium Larcius a. 253, secundum Antiatem Valerius eodem anno, secundum ceteros Larcius a. 256. In horum numero non solum Licinius (frg. 9—11) sed etiam Piso fuit, quem Dionysius (6,11) sequi videtur, cum Tarquinium senem nonaginta annorum (cf. Dion. 4,6 sq. Piso frg. 15) e pugna Regillensi tollere studeat. Angustissime enim inter se cohaerent anni primae et alterius dictaturae seu pugnae Regillensis,[4]) quam decimo quarto post reges expulsos anno commissam esse omnes consentiebant. Omnia igitur pendent e duplice regum indice, quem Mommsen[5]) optime constituit. Nam qui reges 240 annos regnasse putabant velut Fabius, pugnae annum — ex Romanorum solita computandi ratione — 255 a. u. c., qui 243 annos illis tribuebant, 258 a. u. c. habebant, in quibus Pisonem fuisse inde apparet, quod is Anco Marcio viginti quattuor annos attribuisse videtur (ap. Dion. 4,6). Antiquissimum auctorem, qui primum dictatorem a. 253, alterum a. 256 posuit, praeter Livium et Antias et Cicero,[6]) qui Polybio fonte usus est, secuti sunt ratiocinandi causa neglecta. De anno quoque templi Capitolini dedicati, qui cum illis annis cohaeret,[7]) cum Polybii Liviique auctore antiquissimo consentit Antias (ap. Plut. Popl. 14). Componamus igitur opiniones scriptorum:

---

[1]) RF. 2, 191 adn. StR. 2, 141 adn. 4.

[2]) ad Fest. p. 174, p. 389.

[3]) Quellen des Liv. u. Dion. 21 sq. 78.

[4]) Kiessling, De Dion. Hal. auct. Lat. 31. Virck, l. l., Mommsen, StR. 2, 142.

[5]) Chronol. 138.

[6]) Rep. 2. 32, 56 cf. Mommsen, StR. 2, 140 adn. 8. Ciceronis verba „*decem fere annis post primos consules*“ malim pro novem quam pro duodecim annis dicta esse.

[7]) Kiessling, De Dion. Hal. auct. Lat. 31. Mommsen, Chronol. 199.

	Fabii, Antiatis:	Pisonis, Licinii:
Templum Capitolinum dedicatum	a. 245	(247 Licin.)
Primus dictator dictus	253.	256.
Secundus dictator dictus, (pugna Regill.)	255.	258.

His rebus cognitis Mommseno non concedemus Valerii dictaturam obscuratam esse Larcii dictatura; immo illa in huius locum intravit. Neque ad eam spectat lex illa de dictatore creando, sed is, qui primus legem finxit, scriptor Larcii dictaturam ante oculos habuit et tribus annis infra i. e. a. 256 posuit, ut cum lege conveniret. Unum dubium est, an Piso Larcium dictatorem omnino ignoraverit et Postumium ob dubiam alterius consulis fidem a. 258 primum dictatorem dictum tradiderit (cf. Liv. 2. 18,4. 21,3.).

M'. autem Valerius M. f. primus dictator ab Antiate fictus et e dictatore anni 260 ductus videtur.

Caput IV.

De M. Valerio Corvo.

M. Valerii Corvi, quo maiorem gloriam nulla Valeriae gentis proles post Poplicolam adepta est,[1]) totam vitam perscrutari cum longum sit, satis mihi erit, de fontibus scriptorum, qui supersunt, paulo accuratius agere et Antiatis in ea vestigia persequi.

Cognomen *Corvi* Valerius accepisse fertur a corvo, qui eum cum Gallo quodam manus conserentem adiuverat. Frequentior est forma „*Corvini*", sed apud Livium duobus tantum locis (7. 32,15. 40,3) legitur. Quam ab Antiate imprimis scriptam esse Clason[2]) iniuria arbitratur, nam eadem adhibetur in narratione de Valerii certamine a Gellio (9. 11,1 sq.) servata. Et Claudii quidem Quadrigarii (frg. 12) hanc esse, satis certis argumentis demonstratum est,[3]) sed dubium videtur, an Livius hunc auctorem secutus sit, quod vulgo creditur.[4]) Occurunt enim praeter diversam cognominis formam hae discrepantiae: Livius (7. 26,1) narrat, Gallum processisse, cum uterque exercitus „*in stationibus quietus tempus tereret*", Claudius, cum „*instrueretur acies a consulibus*", ille, Gallum „*per interpretem*"

[1]) cf. velut Liv. 9. 17,8 et 12. 24. 8,5; 38. 17,8.

[2]) RG. 1,9. 2,19.

[3]) cf. Peter, Rell. p. 211. Hist. Rom. fragm. p. XV. fin.

[4]) cf. velut Peter, Rell. l. l. C. Peter, Kritik d. Quellen d. älteren RG. 59.

aliquem e Romanis provocasse, hic, Romanos *„inter metum pudoremque ambiguos“* fuisse. Denique apud Livium solum legimus, corvum a Valerio *„ut augurium caelo missum acceptum“* [1]) pugna confecta *„ex conspectu elatum orientem petisse“*. Quae omnia ne parvi aestimentur monet Claudii fragmentum (10 b), quod de simili Manlii Torquati cum Gallo certamine est, cum Livii (7. 9,8) de hoc narratione comparatum, in qua nec Romanorum metus obtegitur (cf. 7. 10,1) nec Gallo interpres additur, sed fabula Homeri imitatione plena[2]) simplex nudaque traditur. Qua de causa dissensiones illae non Livio ipsi, sed fonti eius tribuendae sunt, praesertim cum de summa rerum *„haud quisquam sit nobilium scriptorum, qui secus dixerit“* (Gell. l. l. § 1). Et cum in illis libris Livium res foris gestas omnes fere e Claudio Valerio Licinio hausisse constet,[3]) hoc loco aut Licinium aut Antiatem secutus est. Antiatis autem narrationem Clason apud Dionysium (15. 1,1) et Cassium Dionem (frg. 34 Dind.) invenisse sibi visus est, quia in Corvini nominis interpretatione hi congruerent. At quibusnam aliis verbis Graecus auctor nomen Latinum explicare potuit? Dionis illud fragmentum in excerptis Planudeis servatum summo iure nunc spurium eiectum est,[4]) Zonaras (7,25 p. 163,28 Dind.) autem, qui genuinam Dionis narrationem excerpsit, de Valerii genere cum fastis congruit, plane vero abhorret a Dionysio, cuius auctorem Licinium puto, quod is fabulosum colorem splendoremque de vetustis fabulis detergere solet,[5]) sicut hoc certamen ita a Dionysio narratur, ut re vera accidisse possit.

Dionem et Livium ex uno fonte hausisse apparet, si nonnullae res, quibus a ceteris discrepant, conferuntur:

---

[1]) cf. Flor. 1. 8, 20 (ex eo Jordan, Rom. 140) secundum Livium.

[2]) Zarncke, Comment. Ribbeckianae 279.

[3]) cf. Weissenborn, praef. ad Liv. p. 36.

[4]) Dio ed. Melber, praef. p. XV. Nusquam nisi in hoc fragmento — cuiuscunque est scriptoris — et apud Eutropium (2. 6, 2) legimus, corvum non in galea, sed in dextro Valerii umero consedisse. Eutropium Pirogoff (De Eutropii breviarii indole ac fontibus. Diss. inaug. Berol. 1873, p. 54 adn.) non e Livio, sed e pleniore fonte hausisse putat; at paulo clarius res perspici potest. Nam cum trita fuerit in rhetorum scholis quaestio *„an sit credibile super caput Valerii pugnantis sedisse corvum, qui os oculosque Galli rostris atque alis everberaret“* (Quint. Inst. or. 2. 4, 18), hac ratione is, a quo Eutropius et fragmenti auctor pendent, adductus est, ut vasta magnitudine Galli iam antea (velut apud Dionysium) omissa in umero sedentem avem faceret.

[5]) cf. Mommsen, RF, 2, 15.

Liv. 7. 25,13 (Camillus) „*neque in campis congredi volebat . . . . cum in stationibus quieti tempus tererent*“.
7. 26,1 „*Gallus*“.
7. 26,6 (Certamine finito) „*nec Galli statione se tenuerunt . . . . circa iacentis Galli corpus pugna atrox concitatur.*“

Zon. 1. 1. *Κάμιλλος γνώμην εἶχε τρίβειν τὸν καιρὸν καὶ μὴ διακινδυνεύειν.*
Γαλάτης τις[1])
οἱ Γαλάται αὐτίκα συνέμιξαν τοῖς Ῥωμαίοις.

Levioris momenti est quod Zonaras *Corvini* cognomen magis usitatum exhibet, nam idem apud eos quoque scriptores, qui a Livio pendent,[2]) legitur. Dionem autem non Livio, sed Livii auctore usum esse, ex iis manifestum erit, quae de rebus paulo post gestis ab eo traduntur.

Cum Claudius aut Licinius Livii fons non sit, superest Antias, qui saepius gentium et linguarum varietates diligenter et consulto attigit, ut hi loci ex eo hausti[3]) apte cum illis verbis: „*Gallus . . . . provocat per interpretem unum ex Romanis*“ comparari liceat:

Plut. Popl. 17,1: (Mucius Scaevola) *Τυῤῥηνίδα φορῶν ἐσθῆτα καὶ φωνῇ χρώμενος ὁμοίᾳ.* (cf. Dion. 5,28).

Liv. 10. 4,9: „*Haec* (ab Etruscis dicta) *cum legato Caerites quidam interpretarentur.*“

Liv. 10. 20,8 (Volumnius) „*gnaros Oscae linguae exploratum, quid agatur, mittit.*“

Liv. 23. 34,6: „*Ut Punicus cultus habitusque suspectos legatos facit Hannibalis interrogatosque sermo prodidit.*“

Praeter narrationes Claudii Valerii Licinii, quas distinximus, vis aliqua inest auctori de viris illustribus (29) et Appiano (Celt. 10), e quibus ille eodem ac Livius fonte usus videtur,[4]) hic maxime auctor nos moveret, nisi fragmentum nimis breve et fons eius plane ignotus esset, nam unus Appianus de corvo omnino non loquitur.

Atque haud scio an haec res in fabula explicanda quicquam valeat, cum ea ratione exculta videatur, ut corvus e bono augurio adiutor pugnaeque socius fieret Nam in numero earum avium erat, quibus summa vis ab auguribus

---

[1]) cf. Claud.: „*Dux Gallorum*“ Dion.: „*τινος βασιλέως*“. Exc. Planud.: „*ἡγεμόνι τῶν Κελτῶν.*“

[2]) Flor. 1. 8, 20, Oros. 3. 6, 4, Ampel. 22, 2, Val. Max. 3. 2, 6, Amm. Marc. 24. 4, 5, Joann. Ant. 49 (Müller, FHGr. 4, 557).

[3]) supra p. 10. Klinger, De decimi Livii libri fontibus. Diss. inaug. Lips. 1884 p. 29 cf. infra, etiam Ant. frg. 10.

[4]) Vinckesteyn, De fontibus libri de vir. ill. Diss. inaug. Lugd. Bat. 1886 p. 87.

tribuebatur,[1] et quamquam vulgo infaustum,[2] tamen interdum (Liv. 10. 40,14. Hor. Carm. 3. 27,11) bonum omen habebatur, cuius rei vestigium apud unum Antiatem invenitur. Quidnam veri in fabula insit, non constat; certo earum est, quas *aetiologicas* Schwegler appellavit, neque enim statuis[3]) confirmatur, ut Dionysius vult, sed exitum inde cepit similem fortasse quam ea, quae de L.(?) Aelio Paeto est.[4]) *Corvi* autem cognomen iam antea Aquillio cuidam tribuno militum a. 366 (Liv. 6. 4,7. Chronogr. CIL. I, p. 504) erat.

Insequenti anno 406 Valerium *iuvenem viginti trium annorum* (Liv. l. l. et 7. 40,8. Val. Max. 8. 15,5. Eutr. 2. 6,3) *primum consulem* creatum esse et inde *usque ad sextum eius consulatum sex et quadraginta annos praeteriisse* Cicero[5]) Plinius[6]) Plutarchus (Mar. 28,8) tradunt. Sed cum inter primum et sextum Valerii consulatum undequinquaginta anni intercederent, illius rationis auctor annos 421. 430. 445. 453, quibus dictator sine consulibus fuisse fertur, non iam numerasse videtur.[7]) Vicesimus autem tertius aetatis annus Valerio primum consuli tribuebatur, quia adulescentes Romani inde a septimo decimo aetatis anno per quinquennium stipendia facere solebant, priusquam tribuni fierent,[8]) Valerius igitur, quem *tribunum militum* cum Gallo congressum plerique auctores ferunt, non minus viginti duobus annis habuisse putandus erat. Vicesimum tertium annum, quo is ad consulatum pervenit, agens C. Marius in Numantiae obsidione primum excellebat, Africanus Maior, qui decimo septimo anno

[1]) Schwarz, Menschen u. Tiere im Aberglauben der Griechen und Römer. Progr. Celle 1888. p. 33 sq. adde corvum cum auguris insignibus coniunctum in nummis. Babelon, Monnaies. 1,130 sq. 162.

[2]) Schwarz. l. l. 34.

[3]) Gellius tradit, ab Augusto quoque inter clarorum virorum imagines statuam Corvi in foro constitutam esse, in cuius capite corvi simulacrum fuerit. Cui quod subscriptum erat elogium a Borghesio (Oeuvres 3,8) e codice quodam Vaticano depromptum Mommsen (IRN. 370* = CIL. X. 281*) spurium esse ostendit.

[4]) Varro ap. Non. 12,518. cf. L. Mülleri adn.

[5]) De sen. 17, 60 ex eo Val. Max. 8. 13, 1, cf. Zschech, De Cic. et Liv. 20.

[6]) NH. 7, 157. Qua ratione Plinius computaverit, Corvum semel atque vicies in sella suruli sedisse non constat. cf. Pighius ap. Pauly, RE. 6, 2334 adn. 2. Willems, Le sénat 1, 28. adn. 3.

[7]) Hoc fortasse propius ad veritatem accedit quam quod Soltan (Chronol. 338) proposuit, praesertim cum Plutarchus quinque et quadraginta annos afferat et ambigua sit Romanorum ratio numeros computandi. Consulto Valerius fortasse Mario oppositus est, qui post septuagesimum annum septimum consul erat.

[8]) Mommsen, StR. 1, 505 sq.

in proelio ad Ticinum commisso primam gloriam sibi paraverat, aedilis curulis creatus est.

Inter se cohaerent ea quae de Corvi primo et altero consulatu narrantur: In illo Satricum antea dirutum a Volscis denuo exstructum, in hoc a Corvo captum et incensum esse fertur (Liv. 7. 27,2 et 5 sq.). Jam annis 368 et 377 Romani hanc urbem expugnarunt (Liv. 6, 8,9. 32,10 cf. 33,4) et tertia haec narratio e prioribus illis composita est. Eadem enim ratione qua a. 368 Volsci oppidum fuga petunt, ibi includuntur, moenia scalis ascenduntur, hostes perterriti ultro in deditionem veniunt; eadem ratione qua a. 377 urbs incenditur, templo Matris Matutae parcitur, a. 377 vocis divinae iussu, a. 408 causa non addita. Jure igitur Mommsen[1]) iudicat, narrationi bis relatae fidem habendam non esse, de excidio Satrici non dubitandum. Sive diversos auctores Livius secutus est, ut Mommsen vult, sive unum, certo auctor, quem hoc loco adhibuit, dissentiebat ab iis, quae antea (7. 25,6) et postea (7. 28,1) referuntur,[2]) ut tota haec narratio (7. 25,10—28,1) ex eodem scriptore fluxisse videatur. Et cum in capite vicesimo sexto, quod de certamine Corvi est, et insequentis capitis paragrapho prima, qua de ludis saecularibus anni 406 Livium cogitare puto,[3]) Antiatem adhibitum esse cognoverimus, idem totius narrationis auctor est, qui Satrici gloriosam expugnationem finxit.

Summam vero gloriam Corvus sibi paravisse fertur consul tertium a. 411 bello quod vocatur primum cum Samnitibus optime gesto et dictator a. 412 seditione legionum sedata. De qua parte turbatissima rerum Romanarum accedo ad opinionem cum a multis viris doctis,[4]) tum a Mommseno[5]) prolatam, omnia fere ficta esse et res gestas ex uno Diodoro cognosci posse, nec novi quicquam afferam; sed fortasse non supervacaneum est, Livii fontes paulo diligentius indagare.

Apud hunc duas legimus res, quae ab Antiate plane abhorrere videntur: cognomen *Corvini* (7. 32,15. 40, 3) et

---

1) CIL. X, p. 661.

2) cf. Weissenbornii adn. ad Liv. 7. 27, 5. Ex eo, quod complurium auctorum opiniones de captivis afferuntur (ibid. § 9), nihil de fontibus efficitur; at cf. Antiatis frg. 43.

3) cf. supra p. 8.

4) Niebuhr, RG. 3, 72. Lewis, Unters. üb. d. Glaubwürdigkeit (übers. v. Liebrecht) 2, 331. Ihne, Forschungen 103, RG. 1, 288. Clason, RG. 2, 14. 161. Lange, RA. 2, 37. Nitzsch, Gesch. d. röm. Republik 1, 92. Niese, Iw. Müllers Handb. 3, 596 sq.

5) RG. 1, 356.

consulis originem a Poplicola ductam (7. 32,15. cf. Dion. 15. 1,1). At *Corvini* cognomen utroque loco in orationibus a Livio ipso compositis exstat, qui sine ullo dubio priusquam haec conscripsit, complures auctores legit et facile res levioris momenti inter se commutavit quaecunque casu ei in mentem venerunt. Graviora sunt, quae de Corvi origine Livius dicit, sed ea non ex annalium quodam scriptore, sed longe aliunde petita videntur. Nam eadem Corvum loquentem facit (7. 32,13), quae re vera Cicero pro L. Valerio Flacco (11,25) dixit:

Liv.: (Corvus) *„a liberatoribus patriae ortus et eodem anno familia ista consulatum, quo urbs haec consulem habuit“.*

Cic.: (Flaccus) *„cuius ex familia qui primus consul factus est, primus in hac civitate consul fuit, cuius virtute . . . libertas in re publica constituta est“.*

Tullianum hoc Livio in animo versabatur neque historiae fides sed oratoria mens eo cognoscitur, quod vir et domestica et propria laude popularis apud milites verba facit, ipsi et vetustum Poplicolae et novum Corvi cognomen tribui posse.[1]) Simili autem ratione altera quoque oratio composita est[2]) et melius quam ex his rebus Livii fons cognoscitur ex aliis, quae a priore narratione discrepant. Quamquam enim oratoria ratione Corvum loquentem facit (7. 40,11): *Inducite in animum, quod non induxerunt patres avique vestri, non illi* (i. e. patres) *qui in sacrum montem secesserunt, non hi* (i. e. avi) *qui postea Aventinum insederunt*“ tamen apparet, patres esse eos qui a. 305, avos qui a. 260 secesserunt. De illis, qui cum in Aventinum montem plebi concessum migrarent, iam in urbem redierunt, Antias cum vetustiore Ciceronis auctore congruebat, de anni 260 autem secessione — etsi in ea quoque sacer mons summi momenti erat[3]) — is annalium scriptor unus rettulit, postea Aventinum a plebe obsessum esse.[4]) Eundem Livii auctorem e caesorum hostium numeris cognosci licet: In uno proelio quadraginta (Liv. 7. 37,13), in altero triginta milia Samnitium cecidisse traduntur (ibid.

---

[1]) Idem fere poeta ([Verg.] Catal. 11, 40 [9, 40]) dicit: *„Roma . . . . donavit praemia Messallis maxima Poplicolis.“* cf. Haakh, no. 95 adn.

[2]) Velut cf. 7. 32, 16 cum 7. 40, 9. Similia alii quoque Valerii apud Livium dicunt, velut 3. 17, 3: *„ausurum se* (P. Valerium consulem) *in tribunis, quod princeps familiae suae ausus in regibus esset.“* 3. 61, 2: *„rem geri . . . consule Valerio ab liberatoribus populi Romani orto, liberatore ipso“* cf. 2. 20, 1 sq. Dion. 11, 4.

[3]) cf. supra p. 22 adn. 7.

[4]) cf. supra p. 22.

7, 36,13), e quibus ille numerus saepissime in Antiatis fragmentis,[1]) hic in nono Livii libro interdum (9. 27,14. 43,17) invenitur. Antiati quoque proprium est illud (Liv. 7. 32,4): „*ferociter pro se quisque signum duces poscere.*“[2])

E ceteris scriptoribus Zonaras (7,25 p. 164,10 Dind.), ut Clason[3]) recte intellexit, leges post seditionem militum datas ad verbum cum iis quas Livius (7. 41,4. 42,2) tradit convenientes refert praeter legem a Genucio de faenore latam, quam plerisque annalibus ignotam fuisse Livius (7. 42,2) ipse testis est. Hinc efficitur, ut a Dione non Livius, quod supra[4]) colligi potuit, sed primarius eius fons i. e. Antias adhibitus esse videatur.

De legibus, quae ad rem militarem pertinebant, is unus ita rettulit, de iis, quae de magistratibus erant, cum altero Livii fonte, Licinio,[5]) congruebat, fortasse quia uterque Pisonem sequebatur.[6]) Dionysii autem narratio, cuius prior pars apud Appianum[7]) servata est, discrepat et a Liviana et ab ea, quam tertiam Livius (7. 42,3) adnotat plane a ceteris abhorrentem. In qua non solum *C. Manlii* nomen in memoriam revocat M. Manlium Capitolinum, sed etiam nonnulla insunt similia iis, quae in huius viri rebus antiquissima esse Mommsen[8]) bene perspexit: Plebs faenore oppressa patricium ducem eligit secessionemque quasi in eius domum facit (Liv. 6. 19,1.—7. 42,4), locum quendam munitum obsidet (Zon. 7,24 p. 159,6. Dind. — Liv. 7. 42,5), simili deinde ratione a recentioribus annalibus in utraque re dictator addebatur vir bello clarissimus (Mommsen. l. l. — Liv. 7. 42,3), fingebantur et dictator et plebis dux maxima quisque circumfusus turba ipsis occurrentes (Liv. 6. 15,3. — 7. 40,1), describebatur, quomodo illo verba faciente hic a suis desertus esset (Liv. 6. 20,1 et 11. — 7. 42,6). Denique nunquam nisi in his narrationibus *luci Petelini*[9]) mentio fit (Liv. 6. 20,11. — 7. 41,3).

At ne nimis audacter conicere videar, satis habeo haec admonere; accuratius duplicem de seditione illa famam di-

---

1) frg. 32. 34. 36. cf. Peter, Rell. CCCVII.
2) cf. Klinger, De decimi Livii libri fontibus p. 7.
3) RG. 2, 15.
4) p. 27.
5) ap. Liv. 10. 13, 8. cf. Klinger, De dec. Liv. lib. font. 22.
6) Weissenbornii adn. ad Liv. l. l., Klinger, l. l.
7) Samn. 1, cf. Hannak, Appian u. seine Quellen. Wien 1869. p. 76. Clason, RG. 2, 14.
8) RF. 2, 189.
9) De quo cf. Clason, RG. 2, 178. Gilbert, Gesch. u. Topogr. 3, 142 adn 2.

stingui licet: Secundum vetustiores scriptores plebs urbana (propter aes alienum?) secessionem fecit et causa eius sublata rediit, secundum recentiores velut Antiatem, quo praecipuo auctore Livius usus est, militum seditio orta et a Corvo dictatore sedata est. De singulis rebus utrique inter se non consentiebant, velut auctor de viris illustribus cum ceteris partim congruit partim ab iis discrepat; sed maximam auctoritatem duabus illis narrationibus fuisse puto. Haec hactenus; res quae fuerint perspicere meum non est, cum in Corvi consulatu nihil memorabile gestum, dictatura plane ficta videatur.[1])

De rebus anno 453, quo dictator sine consulibus erat,[2]) praeclarissime gestis iam Niebuhr[3]) optimum iudicium tulit, fide nihil dignum esse nisi hoc quod Livius (10. 5,13) e quibusdam fontibus addit: „*Sine ullo memorabili proelio pacatam ab dictatore Etruriam esse seditionibus tantum Arretinorum compositis et Cilnio genere cum plebe in gratiam reducto.*“ Alterius autem exornatae incredibilisque narrationis Livianae fontem Antiatem esse complures viri docti[4]) cognoverunt certisque argumentis Klinger[5]) ostendit. Quibus unum illud addo, non parvam similitudinem intercedere inter omnes eas narrationes, quibus a magistro quodam equitum dictatore absente proelium commissum esse traditur atque haud scio an *Q. Fabii magistri equitum* nomen, quod Livio (10. 3,8) suspectum est, duplicatam rem effecerit. Hoc loco deest, quod in ceteris legimus, magistrum equitum castris excedere manusque cum hostibus conserere a dictatore vetitum esse, sed causa, quae hunc, ut Romam se conferat adducit, semper eadem tradidur:

A. 429: „*Papirius dictator ad a u s p i c i u m r e p e t e n d u m Romam redit.*“ (Liv. 8. 20,2. cf. 32,4.)

A. 453: „*Valerius dictator a d a u s p i c i u m r e p e t e n d u m Romam proficiscitur.*“ (Liv. 10. 3,6.)

---

[1]) Corvi dictatoris „*lex Valeria de faenore*“ — sic enim Huschke (Iurisprud. Anteiust.[5] p. 353) apud Gaium (Inst. 4, 25) pro „*Vallia*“ scribere vult — plane incerta est, ut Lange (RA. 2, 40. 622), qui eam tuetur, ipse concedit.

[2]) De difficili quaestione, quid de annis dictatoriis cogitandum sit, iudicare non audeo; attamen eius, qui nuperrime de iis egit, Soltaui (Chronol. 318 sq.) opinione examinata potius ad Mommseni (Chron. 114 sq. StR. 2, 160 adn. 1) iudicium redeundum esse mihi quidem videtur.

[3]) RG. 3, 335.

[4]) Ihne, RG. 1, 388. Weissenbornii adn. ad Liv. 10. 5, 13. Peter, Rell. CCCXII. Matzat, Chronol. 1, 181. Cuno, Vorgeschichte Roms 2. 752 adn.

[5]) De dec. Liv. lib. font. 4 sq. 50. cf. supra p. 27.

A. 537: „*Fabius dictator sacrorum causa Romam revocatur.*" (Liv. 22. 18,8.)

A. 538: „*Iunius dictator auspiciorum repetendorum causa Romam proficiscitur.*" (Liv. 23. 19,3.)

Auspicia autem a magistratu repetita esse alias nusquam legitur nisi apud Livium 23. 36,10: [1]) „*Nec alter consul Fabius, qui ad Cales castra habebat, Volturnum flumen traducere audebat exercitum occupatus primo auspiciis repetendis, dein prodigiis.*" Neque hoc loco consul Romam profectus esse traditur neque eo, quem tertium attuli, Polybii (3. 94,9 cf. Plut. Fab. 8,1) verba: „ἐπί τινας θυσίας" vertuntur „*ad auspicia repetenda*" atque ut tertiae[2]) ac quartae narrationi fidem non abrogo, ita dubiam existimo primam iam a Fabio relatam,[3]) alteram autem ad posteriorum similitudinem ab Antiate fictam esse.

Unum restat, quod paucis exponi oportet. Livius dictatorem semper *Valerium Maximum* appellat, etsi ex actis triumphorum (CIL. I. p. 456) et aliunde constat, eum fuisse M. Valerium Corvum. Quamobrem recte Haakh et Weissenborn[4]) iudicarunt, Livium non bene perspexisse quisnam dictator fuisset, cuius dubitationis originem Mommsen[5]) detexit. Ut rem expediam, a fastis ordiendum puto. In actis triumphorum annorum 408. 411. 419. 453 (CIL. I. p. 455. 456. Eph. epigr. 1,158) unum *Corvi* cognomen legitur, idem in fastis consularibus anni 406 (CIL. I. p. 431), sed ad annum 453 ab his (ibid. p. 566) *Maximi* cognomen adiectum est non falso, sed praeter consuetudinem, ut Mommsen cognovit. Et cum Livius hoc cognomen alias non exhibeat, eius auctor idem ac fastorum putandus est, qui sibi ipsi non constabat duobus Valerii cognominibus ad hunc annum adscriptis. A M. Valerio Maximo autem Antias, Dionis (ap. Zon. 7,25 p. 163,28 Dind. cf. supra p. 31) fons, genus Corvi deduxit; Gellius cum de „*Valerio Maximo, qui Corvinus appellatus est*" loquitur, utrum e Claudio an ex elogio cognomen illud sumpserit, parum constat; auctor de viris illustribus in capite (29) „*de M. Valerio Corvino*" inscripto seditionem militum alia ratione atque Antias narrât et unum *Corvini* cognomen exhibet,

[1]) De Taciti quodam loco (Ann. 3,19) cf. Mommsen, StR. 1, 99 adn. 5.

[2]) Quamquam in hac quoque narratione Antiatis vestigia insunt, cf. Hesselbarth, Dritte Dekade 314 sq. 365.

[3]) Mommsen, RF. 2, 279.

[4]) Adn. ad Liv. 10. 3, 3.

[5]) CIL. I. p. 566.

in capite (26) autem, quod „*de P. Decio patre*" est,[1]) non solum in nomine pontificis Antiatis vestigium servavit,[2]) sed etiam M. Valerio *Maximi* cognomen tribuit. Utrumque igitur et Corvi et Maximi cognomen apud Antiatem legebatur; Livius (10. 3,4), qui ex hoc magistrum equitum explicare studebat, propterea illo neglecto incertus haerebat de viro ipso. Nam ubicunque postea eum commemorat, nihil nisi praenomen et nomen adhibet. Ex Antiate hausit et ea, quae de comitiis, quibus Corvus consul quintum creatus esset, *secundum quosdam annales* (10. 5,14) et ea, quae de rebus in sexto eius consulatu gestis[3]) tradidit; sed auctor ille non multa de suo addidit, sicut omnino in Corvi rebus magis exornavit et auxit, quam ipse finxit.

Caput V.

Index Valeriorum.

A P. Poplicola et M. Maximo filiis aut posteris Volusi Valerii, qui fabulosus gentis auctor habebatur,[4]) duae familiae originem ducebant. Et Maximorum continua series facile ex fastis potissimum Capitolinis componitur, incerta autem coniectura opus est, ut Poplicolarum stirpem cum iis quae inde a quinto urbis saeculo florebant familiis coniungamus. Nam ad testimonia haud ita gravia Horatii (Sat. 1. 6,12), qui Laevinos et Ciceronis (pro Flacco 1,1. 11,25), qui Flaccos a Poplicola ortos tradit, accedit, quod eadem in tribus his familiis praenomina inveniuntur. De Faltonum origine non constat.

Poplicolae et Potiti.[5])

2. (5.)[6]) P. Valerius P. f. (Volusi n.?) Poplicola consul 279 (Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch. CIL. I. p. 488 Liv. 2. 52,6. Cassiod. Diod. 11. 60,1. Dion. 7,28) in Veientium

[1]) cf. Vinckesteyn, De font. libri de vir. ill. 83.
[2]) cf. infra p. 62.
[3]) Klinger, De dec. Liv. libri font. 17.
[4]) cf. infra p. 55 sq. Ovid. ex Ponto 3. 2, 103.
[5]) De his cognominibus cf. p. 16. 20 adn. 1. Vetustior forma „*Putitus*" videtur esse (Tab. fer. Lat. cf. „*Putitii*" pro „*Potitiis*" Plaut. Bacch. 123. Fest. p. 216. 217).
[6]) Numeri uncis inclusi sunt Haakhii (Pauly, RE. 6, 2. 2322 sq.).

agros invasit,[1]) consul II. 294 (Fast. Cap. CIL. I. p. 426. Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch. ibid. 492. Liv. 3. 15,1. Cassiod. Diod. 11. 85,1. Dion. 10,9. Joann. Antioch. 47. [Müller, FHGr. 4,556.]) occisus est, cum Appium Herdonium de Capitolio depellere conaretur.[2])

3. (9.) L. Valerius P. f. P. n. Potitus[3]) cum M. Horatio Barbato ibid. Decembr.[4]) a. 305 consulatum iniit (Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch. CIL. I. p. 494. Liv. 3. 55,1. Cassiod. Diod. 12. 26,1. Dion. 11,45), duas legum tabulas a decemviris confectas in publicum edidit,[5]) leges celeberrimas Valerias-Horatias rogavit, de Aequis ex agro Romano eiectis triumphum egit.[6])

4. (10.) L. Valerius L. f. P. n. Potitus trib. mil. 340 (Chronogr. Liv. 4. 47,1)[7]) trib. mil. II. 348 (Fast. Cap. CIL. I. p. 428. Chronogr. Liv. 4. 58,6. Diod. 14. 12,1) Antiatibus bellum intulisse fertur,[8]) trib. mil. III. 351 (Fast Cap. l. l.

[1]) Tollendum est bellum cum Sabinis gestum, quod multo copiosius describitur (Liv. 2. 53, Dion. 9, 34 sq. cf. Fast. triumph. CIL. I. p. 454), nam narratio incredibilis est (Cuno, Vorgesch. Roms 2, 717 sq.) et foedus Sabinorum ac Veientium valde offendit, praesertim cum illi pacis a. 280 factae participes non fiant (Ihne, RG. 1, 91 adn. 20).

[2]) Livius (3. 15 sq.) et Dionysius (10, 9 sq.), de quorum fontibus Nitzsch (Annal. 118 sq.) non recte iudicavit, non ipsa re, sed iudicio ac ratione describendi inter se discrepant (cf. Bonghi, Appio Erdonio, Nuova Antologia. II. serie 19, 404 sq.) et e recentioribus annalibus hauserunt (Bonghi, l. l. 410). Ea autem una de causa, quod fabula de Cincinnato ab aratro ad summum imperium arcessito bis narratur, et Cincinnati consulatum et Valerii caedem negare (Nitzsch, Annal. 108. Triemel, Krit. Gesch. d. ält. Quinctier. Progr. Kreuznach 1884 p. 32) nimiae audaciae est; consulatus nihilominus fide dignus est (Lübbert, De gentis Quinct. comm. domest. Kiliae 1876 p. 22).

[3]) Duo cognomina acta triumph. (CIL. I. p. 454), unum Potiti omnes scriptores (Diod.: *Τούρπινος* emend. Mommsen, RF. 2, 103) Chronogr., tabula fer. Lat. (Eph. epigr. 1, 42. CIL. VI, 2011. XIV, 2236).

[4]) Mommsen, Chron. 92. RF. 2, 104. Matzat, Röm. Chron. 1, 204.

[5]) Diod. Mommsen, StR. 2, 726 adn. 2. E. Meyer, Rh. M. 37, 618.

[6]) Triumphus senatu invito a populo consuli concessus esse fertur, at illa aetate imperatori ipso iure licebat triumphare (cf. Mommsen, StR. 1, 134. 3, 1233 adn. 4). Antiatem Livius (2. 25) sequitur, cum simili honore iam a. 259 P. Servilium a populo adfectum esse ommittit (Dion. 6, 30 cf. Nitzsch, Annal. 56. 61), et hoc loco (3. 63, 5 sq. cf. 10. 37, 10 Zon. 7, 19 p. 142 Dind.) ab eodem pendere videtur, quia rem magis exornat, quam Dionysius (11, 50). Antiati quoque tribuendum puto id, quod in insequenti capite (3. 64, 7) de consilio eosdem consules iterum creandi Livius tradit.

[7]) Diod. 13. 38, 1: *Γάιος* aut permutatione tribuni prioris anni (nr. 5) aut errore librariorum, qui omnia eius anni praenomina corruperunt.

[8]) Quae de eius anni bellis referuntur, fide digna non sunt cf. Ihne, RG. 1, 197 adn. 6. Mommsen, CIL. X. p. 623.

Liv. 5. 1,2. Diod. 14. 35,1), trib. mil. IV. 353 (Fast. Cap. l. l. Liv. 5. 10,1)[1]) Anxur oppidum aggressus est (Liv. 5. 12,6), trib. mil. V. 356 (Fast. Cap. l. l. Chronogr. Liv. 5. 14,5. Diod. 14. 82,1) agrum Faliscum devastavit,[2]) consul 362 (Fast. Hisp. Chron. pasch. CIL. I. p. 504. Liv. 5. 31,2 Diod. 14. 103,1. 15. 14,1. Dion. 1,74. e commentariis censoriis)[3]) de Aequis devictis triumphavit[4]), ludos votivos celebravit, aedem Junonis Reginae dedicavit.[5])

5. (10.) C. Valerius L. f. (P. n.) Potitus Volusus[6]) trib. mil. 339 (Fast. Cap. CIL. I. p. 427. Liv. 4. 49,1. ap. Diod. 13. 34,1 duo nomina exciderunt), consul 344 (Chronogr. CIL. I. p. 500. Liv. 4. 53,1. Cassiod. Diod. 13. 76,1),[7]) trib. mil. II. 347 (Fast. Cap. CIL. I. p. 428. Chronogr. Liv. 4. 57,12. Diod. 14. 3,1), trib. mil. III. 350 (Fast. Cap. l. l. Liv. 4. 67,4. Diod. 14. 19,1).

6. (14.) L. Valerius (L. f. L. n.) Poplicola[8]) trib. mil.

---

1) Diod. 14. 44, 1: *Παῦλος Σέξτος*. *Παῦλος* fortasse ex *Putiti* nomine corruptus. *Σέξτος* = sextus tribunus? cf. Cichorius, De fast. cons. ant. 210 adn.

2) Deecke, Falisker 66 sq.

3) An consul et tribunus idem L. Valerius sit, Borghesi (Oeuvres 9, 183) dubitat; Haakh (nr. 13) illum filium ab hoc patre distinguit. Cuius opinionis causam non intellego et Henzenum (Suppl. ad fast. Cap.) secutus censeo de uno viro agi.

4) Liv. 5. 31, 4 e vetustis annalibus. Diod. 14. 106, 4 refert, a Romanis oppidum Aequorum aliunde ignotum *Λιφοίκουαν* (Mommsen, RF. 2,51 adn. 16: *Αἰκούαν* 2, 180 adn. 54 CIL. IX. p. 388: *Αἴκλον*) captum esse.

5) Jordan, Eph. epigr. 1, 237. Ludi (*magni* Liv. 5. 31, 3, cf. Mommsen, RF. 2, 51 adn. 16) non a Camillo (Liv. 5. 19, 6 Plut. Cam. 5, 1), sed a consulibus ipsis voti erant (Diod. cf. Mommsen, RF. 2, 180 adn. 54).

6) Fast. Cap. (CIL. I. p. 427. 428) hunc virum *„L. f. Volusi n."* appellant, quod propter nimium annorum intervallum incredibile est. Fortasse re vera ei cognomen *Volusi* erat; propterea Volusi nepos habebatur et quia a patre eius (nr. 3.) hoc cognomen alienum erat, alterius Lucii (nr. 44.) filius putabatur, praesertim cum de utroque idem fere traderetur. cf. adn. 7.

7) Fast. Hisp.: *„Rustico"*. Chron. pasch.: *Ῥουστικίου*. Error ex cognomine *„Putiti"* (P = *P*) ortus? Livius bellum a Valerio consule cum Volscis gestum ita enarrat, ut appareat, fabulam esse eandem, quam Dionysius (8,87) de L. Valerio consule a. 271 tradit. Graecus autem auctor rem consuli ignominiae, Latinus laudi vertit; hic eo minus fide dignus est, quod arx Carventana, quam Valerius Volscis eripuit (Liv. 4. 53,9), iam insequenti anno iterum ab iis expugnatur (Liv. 4. 55,4) et quia similia de consulis et tribuni cuiusdam certamine saepe traduntur cf. Schwegler, RG. 2,666. adn. 5. Mommsen, StR. 1,269 adn. 1. 289 adn. 2.

8) Hunc virum et P. Poplicolam Potitum (nr. 7) fratres fuisse, filios L. Potiti (nr. 4) probabile est, si nihil respicitur nisi magistratus re vera gesti. Nam qui a. 340 trib. mil. I. erat (nr. 4), eius filius viginti

365 (Liv. 6. 1,8. Diod. 15. 22,1 permutatis Manlii et Valerii praenominibus), trib. mil. II. 367 (Liv. 6. 5,7. Diod. 15. 24,1, ubi idem error iterum legitur), trib. mil. III. 371 (Liv. 6. 21,1),[1]) trib. mil. IV. 374 (Liv. 6. 27,2. Diod. 15. 50,1).

7. (15.) P. Valerius L. f. L. n. Poplicola Potitus trib. mil. 374 (Liv. 6. 27,2),[2]) trib. mil. II. 377 (Liv. 6, 32,3. Diod. 15. 61,1 praenomine in codd. corrupto) cum L. Aemilio Mamertino collega Volscos et Aequos ad Satricum vicit, Antium aggredi non audet,[3]) trib. mil. III. 387 (Fast. Cap. CIL. I. p. 429. Liv. 6. 42,3).

8. (17.) M. Valerius (L. f. L. n.) Poplicola consul 399 cum C. Sulpicio Petico (Chronogr., fast. Hisp. Chron. pasch. CIL. I. p. 510. Liv. 7. 17,13. 18,1. Cassiod. Diod. 16. 37,1) cum Tiburtibus bellum gessit et Empulum expugnavit,[4]) consul II. 401 cum eodem Sulpicio (Chronogr. Liv. 7. 19,6. Cassiod. Diod. 16. 46,1) dictatorem dixit (Liv. 7. 19,9).[5])

9. (18.) P. Valerius (P. f. L. n.) Poplicola consul 402 (Chronogr. Liv. 7. 21,4. Cassiod. Diod. 16. 52,1) dictatorem — primum extra agrum Romanum (Liv. 7. 21,9) — dixit, qui efficeret, ut duo patricii consules crearentur,[6]) praetor 404 (Liv. 7. 23,3), dictator feriarum constituendarum

quinque annis post facile eundem honorem adipisci potuit. Horum fratrum filios M. Poplicolam (nr. 8) et P. Poplicolam (nr. 9) aequales, L. autem Flaccum (nr. 12) et C. Potitum (nr. 10) una aetate posteriores eorum filios fuisse conicio.

[1]) Cognomen *Κρίσπος* in Diodori (15. 38,1) codicibus interpolatis ut alia eiusdem generis (Cichorius. De fast. cons. ant. 209. adn. 3) fortasse ex recordatione quadam librarii ortum est, cf. *„L. Valerius Crispus“* CIL. III. 6162, V. 6351. Chronogr. a 371: *„Poplicola III et Flavo III“* numerum alteri consuli tribuendum utrique tribuit, simili ratione a. 373, ubi *Poplicolae* nomen falso ex a. 374 suppletum est.

[2]) Diod. 15. 50,1 nomen gentile, quod bis in fastis invenit, semel scripsit. Codd. interpolati adiecerunt *„Ἄγκος“* cf. C. de Boor, Fasti cens. 66.

[3]) Singulae res, quae de bello traduntur, dubiae sunt.

[4]) Oppidum a Valerio captum, a Sulpicio Tarquiniensibus bellum illatum esse (Liv. 7. 18,2), fide minus dignum est, quia consules provincias inter se partitos esse, recentiores annales tradere solebant cf. Mommsen, StR. 1,35 adn. 3. Niese, De annal. Rom. observ. I. Ind. lect. Marbg. 1886 p. IV. Kärst. Fleckeisens Jahrb. Suppl. 13,747 sq. Philologus. 48,306 sq.

[5]) Bellum a dictatore gestum Clason (RG. 1,306) iure sustulit, iniuria dictatorem (ibid. 354); is enim non contra Etruscos, sed contra plebem dictus est.

[6]) Plebeius Valerii collega certo dictatorem non dixit. Contra quinqueviros mensarios hoc anno creatos esse non Valerii animo plebi amico tribuendum est, ut Lange (RA. 2,36) vult, sed plebiscito, quo coacti patres cesserunt (Mommsen StR. 2,641).

causa a. 410 ferias novem dierum habuit,[1]) magister equitum 422[2]) tumultu Gallico falso nuntiato.

10. (20.) C. Valerius (P. f. P. n.) Potitus[3]) consul 423 (Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch. CIL. I. p. 512. Liv. 8. 18,1. Cassiod. Diod. 17. 74,1. Oros. 3. 10,1. cf. Val. Max. 2. 5,3. Augustin. De civ. Dei. 3,17).

11. C. Valerius aedilis intra annos 422 et 426.[4])

Flacci.[5])

12. (21.) L. Valerius (M. f. L. n.) Flaccus[6]) mag. equ. 423? mag. equ. 433?

13. (23.) L. Valerius duumvir navalis a. 472 a Tarentinis occisus (Dio 39,4 et 5 Dind. = 39,3 et 4 Melb. Zon. 8,2).[7])

14. M. Valerius L. f. (M. n.) Flaccus c. a. 460.[8])

15. (26.) L. Valerius M. f. L. n. Flaccus consul 493 (Fast. Cap. CIL. I. p. 434. Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch. Cassiod. ibid. p. 520. Polyb. 1. 20,4)[9]) cum collega bellum in Sicilia gessit et nonnullas urbes cepit (Polyb. l. l.).

16. (29.) P. Valerius L. f. M. n. Flaccus consul 527 (Fast. Cap. CIL. I. p. 435. Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch.

---

1) Liv. 7. 28,8. cf. Luterbacher, Prodigienglaube 26 adn. 108. Contra hunc p. 11. cf. Nissen, Ital. Landeskunde 1,278 sq.

2) Liv. 8. 17,6. cf. Ritschl, Opuscula 4,505 adn.

3) Livii codd.: *„T. Valerius“*, emend. Sigonius. *Potiti* cognomen ap. Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch.; Livius de eo dubitat propter permutationem consulis cum magistro equitum eiusdem anni (nr. 12), ut Haakh recte explicat.

4) Val. Max. 8. 1,7. Lange, RA. 2,486. 584. Mommsen, StR. 3,172 adn. 2. Idem ac C. Valerius (nr. 10) is vir esse non potest. Praenomen me adduxit, ut hunc Poplicolis, L. Valerium (nr. 13) Flaccis adscriberem.

5) De cognominis significatione cf. Cic. Nat. deor. 1. 29,80. Plin. NH. 11,136.

6) cf. supra p. 36 adn. 8. A M. Poplicola (nr. 8) non a P. Poplicola (nr. 9) Flaccorum familiam ortam conicio, quia in ea *Publii* praenomen perrarum est.

7) Cognomen non traditur; Niebuhr, RG. 3,512: *„Flaccus“*. Appianus (Samn. 7,1) duumvirum *„Cornelium“* appellat et aliis quoque rebus a Dione discrepat. Quare iniuria R. de Scala (Der pyrrhische Krieg. 1884. p. 72) utrumque ab eodem scriptore pendere putat; Dio aut Livium aut Livii fontem (cf. Epit. 12. Flor. 1. 13,4. Oros. 4. 1,1) Appianus aut ipsum Timaeum aut Dionysium, qui Timaeum adhibuit, sequitur. Cui aliis de rebus fortasse fides habenda est (Droysen, Gesch. des Hellenismus 3,121), de duumviri autem nomine Romanus auctor meliora tradidisse videtur, quam Appianus scriptor levis ac neglegens.

8) Fortasse de hoc viro (Potito Flacco?) cogitant fast. Hisp. et Chron. pasch., qui consulem anni 468 *„Potitum“* appellant (CIL. I. p. 518. cf. infra nr. 45).

9) Fast. Hisp. addunt *„τὸ β'“*, quia a. 490 alter Flaccus (e gente Fulvia) consulatum gesserat.

Cassiod. ibid. 522),[1]) a. 535 legatus ad Hannibalem missus (Cic. Phil. 5. 10,27. Liv. 21. 6,8),[2]) a. 539 et 540 sub M. Valerio Laevino (nr. 34) classi praeerat, quae oram maris Adriatici custodiebat (Liv. 23. 38,7 sq. 25. 40,5).

17. (35.) L. Valerius P. f. L. n. Flaccus aedilis curulis 553 (Liv. 31. 4,5), praetor 555 Siciliam provinciam administravit (Liv. 31. 49,12. 50,9. 32. 1,2), a. 558 pontifex et in insequentum annum consul cum M. Porcio Catone familiari suo[3]) creatus (Liv. 33. 42,5 et 7. Oros. 4. 20,12. Nep. Cato. 2,1. Plut. Cato. 10,1. Fast. Cap. CIL. I. p. 436. Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch. Cassiod. ibid. p. 526) idib. Mart. magistratum iniit, in Gallia bellum bene gessit, exeunte anno comitiorum causa Romam rediit,[4]) in provinciam reversus ante novi consulis adventum pro consule iterum Gallos vicit.[5]) A. 563 cum Catone tribunus militum consularis[6]) ad Thermopylas non multum effecit,[7]) oppugnationi Heracleae interfuit (Liv. 36. 22,6), Hypatam deinde missus cum Aetolis de pace egit et eorum preces adiuvit.[8]) Fortasse una cum M.'Glabrione consule in Italiam profectus (Liv. 37. 7,7), a. 564 triumvir colonias Placentiam Cremonam Bononiam deduxit (Liv. 37. 46,11. 57,7), a. 565 frustra censuram petiit (Liv. 37. 57,9), a. 568 scribendo adfuit senatus consulto de Bacchanalibus (CIL. I. 196,2), a. 570 Catone auctore[9]) cum hoc censor factus (Fast.

[1]) Gellius (4. 3,2) eosdem consules anno 523 adscripsit insolitam rationem annorum ab urbe condita secutus cf. Fischer, Röm. Zeittafeln 82. M. Hertz ad Gell. l. l.

[2]) Pluribus de hac legatione agere longum est; Cicero Coelium sequitur (Wölfflin, Antioch. v. Syrakus u. Coel. Antipater. 32), quem in libris de divinatione eodem tempore scriptis saepe laudat. De Livii fonte cf. Hesselbarth, Dritte Dekade 123 sq. Sil. Ital. 2,1 sq. 270 sq. duas legationes Valerii et Fabii in unam contraxit.

[3]) Flaccus Catoni persuasit, ut rempublicam capesseret (Nep. Cato. 1,1. Plut. Cato. 3,1 sq. Auct. de vir. ill. 47,1. ante annum 550, quaesturam Catonis). Hac ex re Nitzsch (Gesch. d. röm. Rep. 2,3) collegisse videtur, Porcios quasi clientes Valeriorum fuisse.

[4]) Liv. 33. 43,1 et 5. 34. 42,1 sq. 46,1 (cf. Oros. 4. 20,15) ex Antiate cf. Unger, Philologus. Suppl. 3,2. 74 sq. Liv. 34. 22,1—3 Unger Claudio attribuit, quia hoc loco commemoretur, quid pace Flaccus effecerit. At Livii illud (34. 42,2): *„Consul cum post fusos ... Boios quietam provinciam habuisset, Romam rediit“* idem significat ac 34. 22,3.

[5]) Liv. 34. 46,1 sq. cf. Mommsen, StR. 1,640 adn. 4.

[6]) Mommsen, l. l. 2,695 adn. 1.

[7]) Liv. 36. 17,1. 19,1. App. Syr. 18. Zon. 9,19 ex Polybio. cf. Nissen, Krit. Unters. 180 sq.

[8]) Pol. 20. 9,5. 10,10. ex eo Liv. 36. 27,3. 28,8. cf. Nissen, l. l. 30. 33. 184

[9]) Liv. 39. 41,1 sq. ex Antiate? cf. Unger, Philol. Suppl. 3,2. 143. Claud. frg. 71. cf. Plüss. Fleckeisens Jahrb. 1871. p. 68.

Cap. CIL. I. p. 436. Cic. Cato. 12,42. Nep. Cato. 2,3. Plut. Cato. 16,6. Val. Max. 4. 5,1. Pseudo-Ascon. in div. 50. p. 120 Orelli) aedificia quaedam exstruxit (Liv. 39. 44,6), a collega princeps senatus creatus (Liv. 39. 52,1. Plut. Cato. 17,1), a. 574 mortuus est (Liv. 40. 42,6).

18. (46.) L. Valerius L. f. P. n. Flaccus aedilis curulis 591,[1]) praetor c. a. 596, consul 602 in magistratu mortuus est (Fast. Cap. CIL. I. p. 438. Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch. Cassiod. ibid. 530. Obsequ. 18 Jahn.).

19. (36. 44.) C. Valerius P. f. L. n. Flaccus[2]) propter vitam intemperatam a. 545 flamen Dialis captus,[3]) inde ab hoc tempore vir strenuus atque dignus flaminis Dialis ius sedendi in senatu redintegravit, aedilis curulis in annum 555 creatus impetravit, ut Lucio fratri (nr. 17) liceret pro ipso iusiurandum dare,[4]) a. 570 in petitione praeturae repulsam tulit, in posterum annum praetor creatus inter cives et peregrinos ius dixit, quia ex urbe discedere fas ei non erat,[5]) diem supremum obiit c. a. 580, quo alter flamen Dialis creatus est (Liv. 41. 28,7).

20. C. Valerius C. f. (P. n.) Flaccus triumvir monetalis c. a. 600.[6])

21. (48.) L. (Valerius) Flaccus[7]) praetor c. a. 640 paulo post a M. Aurelio Scauro, qui ipsius quaestor fuerat, accusatus est (Cic. Div. in Caec. 19,63. cf. Pseudo-Ascon. p. 123 Orelli).[8])

22. P. (Valerius) Flaccus M. Papirium Carbonem, qui c. a. 640 Siciliam provinciam administravit,[9]) accusavit fortasse repetundarum (Cic. ad fam. 9. 21,3).[10])

[1]) Terent. Heautontim. tit. cf. Dziatzko, Rh. M. 20,574. 21,70.

[2]) Iniuria Haakh patrem et filium fuisse putat, qui unus vir erat. cf. Mommsen, Münzw. 529. CIL. I. p. 19.

[3]) Liv. 27. 8,4. ex eo Val. Max. 6. 9,3. cf. Marquardt, StV. 3,313.

[4]) Liv. 31. 50,6. 32. 7,14. cf. Marquardt, l. l. adn. 13. Flaccus primus flamen Dialis magistratibus functus est cf. Mommsen, StR. 1,491. adn. 2.

[5]) Liv. 39. 39,2. 45,2. 54,5. cf. Marquardt, l. l. adn. 14.

[6]) Mommsen, Münzw. 529. nr. 120. CIL. I. p. 132. nr. 324. Babelon. Monnaies de la rép. Rom. 2,509.

[7]) L. et P. Flaccos (nr. 21 et 22) e gente Valeria ortos puto, quia Fulvii Flacci post annum fere 630 non inveniuntur et apud eos nec Lucii (Mommsen, Eph. epigr. 1,155. 156. nr. 7) nec Publii praenomen in usu erat.

[8]) M. Aurelius (Haakh falso: *Aemilius*) Scaurus sine dubio consul suff. anni 646 est (Pauly, RE. 1²,2167. nr. 2).

[9]) Klein, Die Verwaltungsbeamten 1,1. 52.

[10]) Frontinus (Str. 2. 11,1) narrat, P. Valerium dolo Epidaurum in fide retinuisse, id quod aut a. 608 aut 677 factum videtur. Illo anno

23. (47.) L. Valerius L. f. (L. n.) Flaccus[1]) flamen Martialis, aedilis curulis intra annos 611—613,[2]) praetor 615,[3]) consul 623 (Fast. Cap. CIL. I p. 438. Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch. Cassiod. ibid. p. 532) a P. Licinio Crasso collega pontifice maximo prohibitus est, quominus bellum in Asia gereret.[4])

24. (54. 59.) L. Valerius L. f. L. n. Flaccus[5]) consul 654 cum C. Mario (Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch. Cassiod. CIL. I. p. 536. Obsequ. 45 Jahn. Vell. Pat. 1. 15,5. Ascon. in Pison. p. 5,9. Kiessl. Plin. NH. 2,100), censor 657 cum M. Antonio oratore (Fast. Cap. CIL. I. p. 439. Eph. epigr. 4,254. Val. Max. 2. 9,5) semper auctoritate et dignitate carebat,[6]) insequentibus temporibus a re publica se abstinuit, ne cum viris, penes quos summa rerum tum erat, in inimicitias veniret (Cic. ad Att. 8. 3,6. cf. pro Rab. perd. 10,27). A. 670 cum Sulla iam reditum pararet, optimates Flaccum, qui e censoriis maximus natu princeps senatus erat,[7]) commoverunt,

comprobato fortasse idem est P. Valerius atque hic P. Flaccus, qui adulescens stipendia meruit, senex foro se dedit.

[1]) Lucii (nr. 18) filius fuisse videtur et propter temporis spatium (Henzen, CIL. I. p. 446 ad ann. 623) et quod ipsius filius (nr. 24) „*L. f. L. n.*" appellatur.

[2]) Titulus Andriae Terentii hanc fabulam retractatam tradit intra annos 611 et 620 a Q. Minucio et Valerio aedilibus (cf. Dziatzko Rh. M. 21,65), e quibus ille ignotus, hic consul anni 623 videtur esse. Cuius praeturae anno recte cognito hic quoque annus accuratius constituitur.

[3]) *L. Valerii L. f. praetoris* nomen legitur in senatus consulto ab Josepho (Ant. Iud. 14. 8,6) servato, de quo viri docti inter se valde dissentiunt. (cf. Bursians Jahresber. 1876. 3,238. Schürer, Gesch. des jüd. Volkes 1889. 1,199 adn. 22.) Equidem adsentior iis, qui Hyrcano I. regnante foedus ictum putant, nam illa aetate L. Valerius consul anni 623 praetura fungebatur et quia flamini ex urbe discedere nefas erat, inter cives et peregrinos ius dabat, quem *Lucii filium* fuisse constat. Anno autem 707 (Mommsen, Hermes. 9,281) aut 628 (Viereck, Sermo Graecus 104 sq.) *L. Valerium L. f. praetorem* fuisse ignoramus, neque Viereckio concedo, senatus consultum magis rebus Iudaeorum, quae a. 628, quam quae a. 615 erant, respondere.

[4]) Cic. Phil. 11. 8,18. cf. Mommsen StR. 1,491 adn. 2. 2,57. adn. 1.

[5]) Duo L. Valerii Flacci aetatis Sullanae ab Haakhio (nr. 57) Mommseno (RG. 2,317 adn.), Ihnio (RG. 5,402 adn. 1) recte distincti sunt cf. Fast. Cap. (Eph. epigr. 4,253). Iniuria vero Haakh hunc virum in duos divisit (cf. Mommsen, l. l. Henzen, CIL. I. p. 447 ad a. 657.).

[6]) Ubicunque Cicero de Saturnini et Glauciae tumultu loquitur, nullam rem a Flacco consule gestam commemorat et M. Duronius, quem a Flacco et Antonio ex senatu motum esse Valerius Maximus (2. 9,5 ex Antiate cf. infra p. 62.) refert, ab uno Antonio poenas repetivit (Meyer, Orat. Rom. frgm. [ed. Paris.] 257). Imprimis cf. iudicium P. Rutilii (frgm. 4 ap. Plut. Mar. 28,7), e recentioribus Ihne, RG. 5,402.

[7]) Liv. ep. 83. cf. App. BC. 1,77. Mommsen, RG. 2,317 adn.

ut rogationem de legatis ad illum mittendis ferret. A. 672 interrex Flaccus legem de Sulla dictatore dicendo ad populum tulit[1]) et propterea ab eo magister equitum adsumptus est (Fast. Cap. CIL. I. p. 439). Sacerdotio fungebatur flaminis Martialis,[2]) mortuus est ante a. 691 (Cic. pro Rab. perd. 10,27).

25. C. Valerius L. f. (L. n.) Flaccus c. a. 625.[3])

26. (55. 58.) C. Valerius C. f. L. n. Flaccus[4]) praetor urbanus paulo ante a. 659,[5]) consul 661 (Fast. Cap. CIL. I. p. 439. Eph. epigr. 4,253. Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch. Cassiod. CIL. p. 536. Obsequ. 52 Jahn. Plin. NH. 19,40. Tessera Tarracinensis. Eph. epigr. 3,203. CIL. X. 8070,1) a factione Mariana Galliam provinciam accepit,[6]) Gallos vicit, paulo post ad Sullam transiit, ab hoc in Hispaniam missus cum Celtiberis rem bene gessit.[7]) A. 673 ex Celtiberia et Gallia triumphavit (Licinian. p. 38,16 Bonn.) et ex senatus consulto imperator appellatus est.[8])

27. (57.) L. Valerius (C. f. L. n.) Flaccus[9]) aedilis curulis a. 655 a C. Apuleio Deciano tribuno plebis accusatus (Cic. pro Flac. 32,77. cf. Schol. Bob. p. 230 Or.), praetor intra annos 658 et 665, a. 667 Ostiam urbem, cuius praesidio praeerat, Mario prodidit (Licinan. p. 24,3 Bonn),[1]) a. 668

[1]) Cic. ad Att. 9. 15,2 de lege agr. 3. 2,5 de legib. 1. 15,42 pro Rosc. 43,125. Ex Appiano (BC. 1,98) Drumann (Gesch. Roms 2,475) collegit, a Flacco primo interrege dictatorem dictum esse, at error potius scriptoris neglegentiae tribuendus est (Rubino, Unters. über röm. Verfassung. 99 adn. 5. Mommsen, StR. 1,98 adn. 2.) Falso Flaccus praetor pro interrege appellatur a scholiasta Gronoviano (in Rosc. p. 435 Or.), quem Wehrmann (Fasti praetorii. Diss. inaug. Gryphisw. 1875 p. 27) sequitur.

[2]) Cic. pro Rab. 10,27 de div. 1. 46,104. cf. Varro LL. 6,21. Denarius ap. Mommsen, Münzw. 570 nr. 194 CIL. I. p. 135 nr. 396 Babelon, Monnaies 2,512.

[3]) Mommsen, Eph. epigr. 4,255.

[4]) Haakh iniuria duos eiusdem nominis viros distinguit.

[5]) Cic. pro Balb. 24,55 ex eo Val. Max. 1. 1,1 cf. Mommsen, StR. 3,134 adn. 3.

[6]) Cic. pro Quinct. 7,28. cf. 6,24 Cic. frg. ap. schol. Bob. p. 233 Or. Caes. BG. 1. 47,4. cf. Mommsen, Münzw. 599. nr. 227. RG. 2,332.

[7]) Consulatus *tranquillus* fuerat (Obsequ. 52 Jahn); bellum cum Celtiberis gestum non statim post Didii bellum a. 661 confectum (Fast. triumph. CIL. I. p. 460) sed compluribus annis post exarsit (App. Ib. 100 fin. *πάλιν δὲ τῶν Κελτιβήρων ἀποστάντων* i. e. cum novus tumultus oreretur.). Numerus hostium caesorum incredibilis est cf. App. Ib. 99.

[8]) Cic. pro Quinct. 7,28 cf. Mommsen, StR. 3,1142 adn. 4. Münzw. 599 nr. 227. CIL. I. p. 137. nr. 426. Babelon, Monnaies. 2,512.

[9]) De genere cf. Schol. Bob. p. 233 Or.

[10]) cf. Plut. Mar. 42,2 ex Posidonio (Peter, Quellen Plutarchs 103). Urbem vi captam esse tradit Livius (ep. 79. Oros. 5. 19,17 cf. App. BC. 1,67).

post Marii mortem a. L. Cinna consul subrogatus (Liv. ep. 82. App. BC. 1,75. Vell. Pat. 2. 24,1. Plut. Sulla. 20,1. 23,6. Mar. 12,10. Lucull. 7,2. Tessera Capuana. CIL. X. 8070,2) legem turpissimam de aere alieno tulit,[1]) aliquantum temporis Romae moratus[2]) in Asiam se contulit. Parte copiarum iam in itinere amissa (App. Mithr. 51), parte ad Sullam transgressa avaritia severitate aliis vitiis militum animos a se abalienavit,[3]) ut Fimbria legatus facile iis persuaderet, ut Flaccum Nicomediae captum initio anni 669[4]) interficerent.

28. (69.) L. Valerius L. f. (C. n.) Flaccus[5]) puer cum patre (nr. 27) in Asiam profectus (Cic. pro Flacco frg. Mediol. 2,5. cf. Schol. Bob. 232 Or.), a. 671 tribunus militum Gai patrui (nr. 26) in Gallia (pro Fl. 40,100. cf. 26,63), intra annos 676 et 680 P. Servilii Vatiae in Cilicia (ibid. 2,5. 3,6. 40,100), ante a. 685 quaestor M. Pupii Pisonis in Hispania,[6]) inde ab anno 686 legatus Q. Metelli in Creta (pro Fl. l. l. pro Planc. 11,27. Solin. p. 26,3 Momms.), interdum in Graeciam missus,[7]) praetor urbanus a. 691[8]) nocte illa celeberrima a. d. III. non. Decembr. legatos Allobrogum comprehendit (Sall. Cat. 45,2. Cic. in Cat. 3. 2,5 sq. 6,14 pro Fl. 1,1 sq. 2,5. 37,94 sq. 40,102 in Pison. 23,54. ad Att. 2. 25,1) et Ciceronem consulem in opprimenda coniuratione Catilinae diligentissime adiuvit (Sall. Cat. 46,6. 55,2). A. 692 Asiae provinciae praeerat (pro Fl. 40,100),[9]) a. 694 legatus cum Q. Metello Cretico Galliae civitates adiit (Cic. ad Att. 1. 19,2), 695 a D. Laelio repetundarum accusatus est. Defenderunt eum Q. Hortensius (Cic. pro Fl. 17,41. 23,54) et M. Cicero et quamquam ex huius oratione[10]) colligi potest, id quod etiam

---

[1]) Cic. pro Font. 1,1. Vell. 2. 23,2. cf. Sall. Cat. 33,2. Mommsen, Münzw. 383.

[2]) Cic. pro Rosc. 12,33. cf. Waddington, Fastes des provinces Asiatiques. 668.

[3]) Liv. ep. 82. App. Mithr. 51. Dio frg. 104,1 sq. Dind. = 101,1 sq. Melb. Strabo 13,27. p. 594. Memnon frg. 34 (Müller, FHGr. 3,543.) cf. Drumann, GR. 2,451 sq. Ihne, RG. 5,336. Mommsen, RG. 2,297. Waddington, Fastes 668. Th. Reinach. Mithiridate Eupator. Paris 1890. p. 193. *„Legiones Valerianae."* Liv. ep. 98. cf. Drumann, RG. 4,154.

[4]) De loco caedis cf. Memnon l. l. App. Mithr. 52, de tempore Vell. 2. 23,2. 24,1. Reinach l. l. adn. 4.

[5]) cf. Drumann, GR. 5,619 sq. Waddington, Fastes 674.

[6]) Cic. pro Fl. 40,100. Drumann, GR. 2,85.

[7]) Cic pro Fl. 26,63 40,100. cf. Zumpt, Comment. epigr. 2,187.

[8]) Hölzl, Fasti praetorii. Lips. 1876. (ed. II. 1890.) p. 46.

[9]) De Flacci necessitudine cum Trallianis Waddington (Fastes. 668) non recte iudicat; iam a maioribus eorum patronus erat (Cic. pro Fl. 22,52).

[10]) De oratione cf. Drumann, GR. 5,630. (3,96) de editionibus Teuffel, Gesch. d. röm. Litt. 1,327.

aliunde comprobatur (Macrob. 2. 1,13), manifesta apertaque rei crimina fuisse, tamen absolutus est; annis 697 et 698 L. Pisonis Caesonini legatus in Macedonia rem bene gessit,[1]) a. 700 adhuc vixisse videtur (Cic. pro Planc. 11,27).

29. (91. 92.) C. Valerius L. f. L. n. Flaccus[2]) a. 695 puer a Cicerone ad iudices patris productus (pro Fl. 42,106), annis 701—703 iuvenis inter comites Appii Claudii proconsulis Ciliciae fuit (Cic. ad fam. 3. 4,1. 11,3), a. 706 a Pompeii partibus stetit et ad Dyrrhachium cecidit (Caes. BC. 3. 53,1).

30. (C.?) Valerius L. f. (C. n.) Flaccus mortuus ante annum 692.[3])

31. L. Valerius (C. f.?) L. n. Flaccus adulescentulus a. 695.

Laevini.

32. (24.) P. Valerius (C. f. P. n.) Laevinus[4]) consul 474 (Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch. CIL. I. p. 518) poena a Lucanis, qui desciverant, repetita (Plut. Pyrrh. 16,3. Zon. 8,3. p. 178 Dind.) et sua ipsius (Plut. Pyrrh. 18,1) et militum culpa (Liv. 25. 6,3. Frontin. Str. 4. 1,24) ad Heracleam a Pyrrho rege ita devictus est,[5]) ut eadem nocte fuga salutem

[1]) Cic. in Pison. 23,54. cf. Drumann, GR. 2,68.

[2]) Cur Haakh et Willems (Le sénat 1,533) duos viros supponant, causa non est; aetas nequaquam obstat.

[3]) Cum L. Flaccus *„adulescentulus propinquus praetoris“* (nr. 28) aequam partem atque hic acciperet ex hereditate Valeriae, cuius pater a consule (nr. 27) manu missus erat (Cic. pro Fl. 36,89. cf. Drumann, GR. 5,629. adn. 64), nepos consulis sine dubio erat. Fortasse idem Valerius est, qui a. 709 e proelio ad Mundam commisso cum paucis Pompeianis effugit (Bell. Hisp. 32,4 cf. Haakh. nr. 93). Pater eius (nr. 30) aliunde non notus est.

[4]) De genere cf. supra p. 36 adn. 8. Patrem C. Potitum (nr. 10) esse suspicor. Consulis nomen ap. Fest. p. 237 supplevit C. de Boor. Fasti censorii 78.

[5]) De *„Osculana pugna“*, qua Laevinus victus sit (Fest. p. 197) cf. Append. ad Fest. ed. II, p. 7. Otto, Sprüchwörter der Römer. 1890. p. 260. Ex iis narrationibus, quibus scriptores Romani infamiam cladis acceptae minuere studebant, nonnullae ad consulis virtutem pertinent. Velut speculatores regis captos in castris circumduci iussisse fertur (Dion. 19,11. Frontin. Str. 4. 7.7. Eutr. 2. 11,2. Exc. Planud. [Dio frg. 50,17. Dind.] Zon. 8,3. p. 179. Dind.), cuius fabulae primum exemplum apud Herodotum (7,146. cf. Schubert, Fleckeisens Jahrb. Suppl. 9,767) exstat, alterum Romanum Africani Maioris. Hoc Livius (30. 29,3) Polybium (15. 5,4) secutus in eodem capite narrat. in quo Antiatem quoque adhibuit (§ 9 = Ant. frg. 30). Apparet igitur, utrumque de illa re idem tradidisse neque incredibile est, Antiatem eam a Scipione ad Laevinum transtulisse. Quemadmodum alteram fabulam, quae de Megacle est (Dion. 19. 12,8. Plut. Pyrrh. 17,1. Zon. l. l. ex Duride cf. Schubert l. l. 768), Romanus auctor Laevino laudi verterit, ex Frontino (Str. 2. 4,9) Livium secuto cognoscimus.

peteret (Plut. Pyrrh. 17,8. Oros. 4. 1,11 et 16. Eutr. 2. 11,8) multaque Italiae oppida victori traderentur[1]). Clade accepta Laevinus Capuam et Neapolim a rege tuebatur,[2]) deinde copias Saepinum in hiberna deduxit (Frontin. Str. 4. 1,24), unam legionem Rhegium occupare iussit, quae postea cum Mamertinis se coniunxit.[3])

33. P. Valerius (P. f. C. n.) Laevinus c. a. 500.

34. (32.) M. Valerius P. f. (P. n.) Laevinus[4]) praetor a. 527 Sardiniam provinciam eo anno institutam administravit,[5]) praetor II. 539 primum inter cives et peregrinos ius dixit (Liv. 23. 30,18), deinde in Lucaniam et Apuliam missus (Liv. 23. 32,2 et 16) Hirpinorum quasdam urbes (Liv. 23. 33,5. 37,12) ac legatos Hannibalis et Philippi regis cepit, tum Italiam a Macedonibus defendere iussus est (Polyb. 8. 3,6. Liv. 23. 38,10. 48,3. cf. Eutr. 3. 12,4. Flor. 2. 7,1,6 [ex eo Jordan. Rom. 208] Justin. 29. 4,4. Zon. 9,4. p. 261 Dind.). A. 540 Tarentum Romanis servavit (Liv. 24. 10,4. 11,3. 20,12) in Graeciam transgressus prospere pugnavit,[6]) prope Oricum hiemavit (Liv. 24. 40,17), imperio per tres deinceps annos prorogato (Liv. 24. 44,3. 25. 3,6. 26. 1,12) cum Graecis egit (Pol. 5. 105,8. Liv. 25. 23,9. 26. 24,1), a. 543 cum Aetolis aliisque civitatibus, quae Philippi adversariae erant, etiam cum Attalo Pergameno foedus fecit,[7]) ad Corcyram hibernavit (Liv.

---

[1]) Dio. frg. 40,21 Dind. = 40,13 Melb. Zon. l. l. Justin 18. 1,8.

[2]) Plut. Pyrrh. 18,1. Dio. frg. 40,28 Dind. = 40,24 Melb. Zon. 8,4. p. 181.

[3]) cf. Scala, Der pyrrhische Krieg. 128.

[4]) A consule anni 474 (nr. 32) nimio intervallo is vir distat, quam ut filius eius putetur.

[5]) Annus, quo *„Sardiniam M. Valerius, Siciliam C. Flaminius praetor sortiti sunt“* (Solin. p. 52,13 Momms.), iure idem 527 habetur, quo quattuor praetores primum creati sunt (Mommsen, StR. 2,198 adn. 2). De anno 554, quo M. Valerius Falto (nr. 42) Sardiniam administravit, cogitari Flaminii nomen vetat; M. Messalla (nr. 52) a. 527 praetor non erat, quia a. 528 ad consulatum pervenit (Mommsen, StR. 1,524. Klein, Die Verwaltungsbeamten 1,1. 199). M. Laevinus autem a. 539 *„praetor iterum“* appellatur (Liv. 23. 24,4).

[6]) Polyb. 7. 19,2. Plut. Arat. 51. e Graecis fontibus. Livii narratio (24. 40. cf. Zon. 9,4. p. 262 Dind.) rebus incredibilibus nimiaque iactatione plena (Scott, Makedonien u. Rom währ. des hannib. Krieges. I. Diss. inaug. Lips. 1873 p. 61) e scriptore immodice omnia augente (Hesselbarth, Dritte Dek. 484 sq.) hausta est (cf. cum Liv. 24. 40,13. Polyb. 5,110. Plut. Demetr. 9,3).

[7]) Polyb. 9. 32 et 39. 39. 11,6 alias. Liv. 26. 24. Zon. 9,6. p. 268 Dind. Iustin. 29. 4,5. Hieron. 2,123 Schöne. cf. Mommsen, RG. 1,626. Ihne, RG. 2,338. Hertzberg, Griechenland unt. d. Herrsch. d. Röm. 1,35.

26. 24,16. 26,1). Consul a. 544 cum M. Marcello[1]) (Liv. 26. 26,1 sq. cf. 22,1. Val. Max. 4. 7,1. Fast. Hisp. Chron. pasch. Cassiod. CIL. I. p. 525) aliquantum temporis in Graecia moratus Romam venit (Liv. 26. 27,10 sq. 28,1 sq.) legionem dimisit (Liv 26. 28,13), M. Livium Salinatorem in urbem reduxit (Liv. 27. 34,5), proposuit, ut cives ultro pecunias conferrent ad classem parandam (Fest. p. 364. Liv. 26. 36. cf. 31. 13.2. ex eo Val. Max. 5. 6,8. Oros. 4. 17,14. Flor. 1. 22,25. Jord. Rom. 192), tandem in Siciliam provinciam a collega ipsi concessam profectus (Liv. 26. 29 et 32,6. Val. Max. 4. 1,7. Zon. 9,6 p. 267 Dind. cf. Plut. Marc. 23) Syracusanorum rebus constitutis (Liv. 26. 40,1) Agrigentum cepit proditione legati Carthaginiensis Muttinis.[2]) Comitiorum causa Romam rediit (Liv. 27. 4,1 sq. 5,1. Plut. Marc. 24,8), praedonum turba Rhegium transportata (Polyb. 9. 27,10 sq. Liv. 26. 40,16. 27. 12,4) a senatu dictatorem dicere iussus recusavit, clam in provinciam rediit,[3]) cui usque ad annum 548 praeerat (Liv. 27. 7,9 et 12. 8,13 sq. 22,9. 28. 10,13). Diligenter frumenti curam habuit (Liv. 26. 40,15. 27. 8,18. Cic. in Verr. 2. 3,125), bis praedandi causa in Africam traiecit.[4]) A. 547 de Laevino consule creando cogitabatur (Liv. 27. 34,9), a. 549 princeps legationis in Asiam missus Magnam Matrem Pessinunte Romam transportavit, a. 550 rogationem de pecuniis, quae a. 544 collatae erant, reddendis tulit (Liv. 29. 16,1), a. 553 legatus pro praetore quippe vir Graecarum rerum peritissimus in Graeciam transiit ad bellum contra Philippum parandum,[5]) a. 544 diem supremum obiit, a filiis suis[6]) splendidissimis ludis funebribus celebratus est (Liv. 31. 50,4).

---

[1]) Quae de comitiis Livius (26. 22. ex eo Val. Max. 6. 4,1. Zon. 9,5. p. 265 Dind.) tradit, ex scriptore Romano fluxerunt (Hesselbarth, Dritte Dek. 511), e Coelio? (Friedersdorff, Das 26. B. des Liv. Progr. Marienbg. 1874. p. 17).

[2]) Muttini civitate Romana donato postea nomen *M. Valerii* erat cf. Dittenberger, Hermes. 15,158. Agrigenti expugnationem Livius (26. 40,11. cf. Eutr. 3 14,6. Oros. 4. 18,2. Zon 9,7. p. 270 Dind.) secundum Polybium narrat (Friedersdorff, Das 26. Buch des Liv. 22. Hesselbarth, Dritte Dek. 517); sed quod additur ex alio fonte (Antiate?), a Laevino sex urbes vi, proditione viginti captas esse, quadraginta sua sponte ad eum defecisse, cum insulae rebus, quales tum erant, non convenit. Urbes autem praeter Agrigentum totidem sunt, quot a. 491 M'. Messalla (no. 51.) in Sicilia cepisse fertur (Diod. 23,4).

[3]) Liv. 27. 5,8 sq. Plut. Marc. 25,1. cf. Mommsen, StR. 2,150.

[4]) Liv. 27. 29,7 et 28. 4,5 iisdem fere verbis usus (cf. 29. 28,5).

[5]) Liv. 31. 3,3 ex Antiate, 31. 5,5. 7,4 e Claudio cf. Unger, Philologus. Suppl. 3,2. 25.

[6]) Livii codd.: „*P. et M. et filiis*"; noti sunt C. et M. Laevini. Particula „*et*" demonstrare videtur, Gai nomen excidisse: „*P. et M. et C.*

35. (41.) M. Valerius M. f. P. n. Laevinus[1]) praetor a. 572 inter cives et peregrinos ius dixit (Liv. 39. 56,5. 40. 1,1), a. 583 in proelio ad Callicinum collem commisso equitatui praeerat (Liv. 42. 58,12 ex Polybio).

36. (42.) C. Valerius M. f. P. n. Laevinus a. 565 sub M. Fulvio Nobiliore, qui eadem matre natus erat, in Graecia stipendia fecit, Aetolis apud consulem et Romae patronus aderat (Polyb. 21. 29,10 sq. 31,2 ex eo Liv. 38. 9,8. 10,2), a. 575 praetor Sardiniam provinciam administravit (Liv. 40. 44,2 et 7), a. 578 in locum Cn. Cornelii Scipionis consulis mortui subrogatus (Fast. Cap. CIL. I. p. 436. Chronogr. ibid. 528. Liv. 41. 17,6) cum Q. Petillio collega Liguribus bellum intulit. Petillio interfecto (Liv. l. l. ex eo Val. Max. 2. 7,15. Obsequ. 9 Jahn.) ius comitia habendi Laevino negatum est (Liv. 41. 18,16).[2]) A. 580 Laevinus cum Appio Claudio Pulchro (consule a. 569) tribusque aliis legatis Aetolorum res constituit,[3]) a. 581, quo Claudius in Thessalia versabatur,[4]) cum quattuor viris, quibus ipse praeerat, Macedonum regem observavit et Graecorum animos Romanis conciliavit;[5]) revocatus est eodem tempore, quo Eumenes senatum de Persei consiliis certiorem fecit, ut de iisdem rebus referret. A. 585 frustra censuram petiit (Liv. 43. 14,1). Paulo post diem supremum obisse videtur, nam inde ab hoc tempore non commemoratur, etsi viro in Graeciae rebus versato tum opus erat.

37. P. Valerius Laevinus sub finem liberae rei publicae homo pravis moribus non ultra quaestoriam dignitatem provectus (Hor. Sat. 1. 6,12. Porph. ad l. l. p. 220 Meyer).[6])

---

filiis". Publius fortasse praematura morte obiit, nam apud Livium 41. 8,1. *„C."* in *„P."*, ut Haakh vult, mutari non potest cf. infra. Marcus autem Gaium aetate antecedebat, nam prius ad praeturam pervenit.

[1]) Utrum hic an pater eius (nr. 34) *M. Laevinus aed. cur. a privato in ius deductus* sit (Varro ap. Gell. 13. 13,4), non constat.

[2]) Bellum hoc anno non confectum est. Laevinum triumphasse, quod priores viri docti volunt, negat Henzen (CIL. I. p. 463), cuius opinio fastorum triumph. novo fragmento (Bulletino communale 1889. p. 36. Hülsen, Berl. philol. Wochenschrift 1889. p. 395) comprobatur.

[3]) Liv. 41. 25,5. cf. 27,4. 42. 2,2 ex Polybio cf. Nissen, Krit. Unters. 241.

[4]) Hertzberg, Griechenland unter der Herrschaft der Römer. 1,184. adn. 62.

[5]) Liv. 42. 6,5. 17,1 sq. ex annalibus cf. Nissen, Krit. Unters. 244. An Laevino mandatum sit, Aegypti quoque regem adire (Liv. 42. 6,5), dubium est; certo id non fecit.

[6]) Horatius in satira haud ita multo post a. 717 scripta de sua ipsius aetate loqui videtur. Fortasse ad eundem Laevinum spectat Messallae Corvini dictum apud Plinium NH. 35,8. cf. Kiessling ad Hor. l. l.

Faltones.[1])

38. P. Valerius (Falto ?) c. a. 460.

39. Q. Valerius P. f. Falto c. a. 490.

40. Q. Valerius Q. f. P. n. Falto[2]) praetor urbanus[3]) 512 cum C. Lutatio Catulo consule in Siciliam missus, propraetor a. 513 cum eodem proconsule in proelio ad Aegates insulas commisso classi praeerat; consul 515 (Fast. Cap. CIL. I. p. 435. Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch. Cassiod. ibid. p. 522. Varro ap. Gell. 17. 21,43).

41. P. Valerius Q. f. P. n. Falto consul 516 (Fast. Cap. CIL. I. p. 435. Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch. ibid. p. 522. Fest. p. 322. Zon. 8,18 p. 224 Dind).[4])

42. (37.) M. Valerius (P. aut Q. f ? Q. n.) Falto a. 549 quaestorius cum legatione, cuius princeps M. Laevinus (no. 34) erat, in Asiam missus adventum Magnae Matris Romam nuntiavit (Liv. 29. 11,3 et 8. 14,5), aedilis curulis a. 551 (Liv. 30. 26,6), praetor 553 duas legiones in Bruttium duxit (Liv. 30. 40,5. 41,1), pro praetore a. 554 Sardiniam provinciam administravit.[5])

---

[1]) Quemadmodum haec stirps Valeriorum, in qua una praenomen *Quinti* invenitur, cum ceteris cohaereat, ignoro. nisi forte a P. Poplicola (nr. 9) orta est. Cognomen saepe (cf. velut Oros. 4. 11,10. Zon. 8,17. p. 221 Dind.) corruptum Etruscum est cf. Müller, Etrusker[2]. 1,501. Fabretti, CI Ital. nr. 1014 bis c. 534 quat. d. 1025 (1818. 877. 878); quid significet, cur familiae datum sit, incertum est.

[2]) Haakh (nr. 27. 28) Mommsen (RG. 1,534) Neumann (Zeitalter d. pun. Kr. 153. 207) Q. et P. Faltones confundunt.

[3]) cf. Mommsen, StR. 2,195 adn. 1.

[4]) Cassiod.: „*P. Cornelius*“, qui error fortasse inde ortus est, quod in fastis annorum 514—518 eadem gentilicia identidem reperiuntur. Bellum Gallicum Faltonis ab Orosio (4. 12,1) et Zonara (8.18 p. 224 Dind.), qui e Livio hauserunt, relatum Ihne (RG. 2,108 adn. 2) iure sustulit, nam Polybius rem ignorat, bellum Gallicum insequentibus annis multo vehementius exarsit, numeri permagni traduntur, narratio valde exornata est (cf. velut cum Zon. narrationes p. 32 collectas). Quibus de causis Livium ab Antiate pendere existimo. Haakh (nr. 28) unum e fratribus Q. et P. Faltonibus *tribunum mil. Valerium a. 502 virgis caesum* (Frontin. Str. 4. 1,30) esse putat; at dubium est, an homo tali poena affectus consulatum assequi potuerit. Haud scio an de P. Laevino (nr. 33) cogitandum sit.

[5]) Liv. 31. 8,9. cf. Klein, Die Verwaltungsbeamten 1,1. 208. Mommsen, StR. 2,212 adn. 4.

Maximi et Messallae.

44. (7.) L. Valerius M. f. (Volusi n.?)[1] consul a. 271 cum Volscis bellum gessit (? Liv. 2. 42,9),[2] consul II. a. 284.[3])

45. (8.) M. Valerius M. f. (Volusi n.?) Maximus Lactuca[4]) consul a. 298 (Fast. Cap. CIL. I. p. 426. Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch. ibid. p. 492. Liv. 3. 31,3. Cassiod. Diod. 12. 4,1. Dion. 10,31).

46. M. Valerius M. f. M. n. Maximus Lactuca c. a. 320.[5])

47. (12.) M. Valerius M. f. M. n. Lactucinus Maximus trib. mil. 356 (Fast. Cap. CIL. I. p. 428. Liv. 5. 14,5),[6]) trib. mil. II. 359 (Liv. 5. 24,1. Diod. 14. 94,1) cum Q. Servilio Capenatium agros ita populatus est, ut hi eodem, Falisci cum iis foederati insequenti anno pacem facerent.

48. M. Valerius M. f. M. n. Maximus c. a. 380.

49. (19.) M. Valerius M. f. M. n. Maximus Corvus consul 406 (Fast. Cap. CIL. I. p. 431. Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch. ibid. 510. Liv. 7. 26,12. Cassiod. Diod. 16 69,1),[7]) consul II. 408 (Chronogr. fast Hisp. Chron. pasch. l. l. Liv. 7. 27,5. Cassiod. Diod. 16. 72,1) Satricum expugnavit, de Volscis Antiatibus triumphavit (Fast. triumph. CIL. I. p. 455), consul III. 411 (Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch. l. l Liv. 7. 28,10. 10. 31,10. Cassiod. Diod. 16. 77,1. Cic. de div. 1. 24,51.

---

1) *„Volusi f.“* hic vir ex Antiatis (ap. Dion. 8,77. cf. infra p. 66) et fastorum Cap. (cf. p. 36. adn. 6), *„Marci f.“* ex aliorum auctorum (ap. Dion. 8,87. cf. ibid. adn. 7) sententia erat, quos Mommsen (CIL. I. p. 284 adn.) iure sequitur. Cognomina *„Potiti Volusi“* (Fast. Cap. CIL. I. p. 425. Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch. ibid. p. 490) a C. Valerio (nr. 5), qui eius filius putabatur, translata sunt; si cognomen *„Poplicolae“* (Dion. 8,77. Diod. 11. 41,1. 69,1. cf. Borghesi, Oeuvres 9,42) re vera ei erat, credibile vix est, M. Valerii Maximi filium eum fuisse. Quare nec de nomine nec de genere quicquam constat.

2) cf. p. 36. adn. 7.

3) Dionysius (9,51) refert, ab utroque consule legem agrariam tribunorum adiutam esse; Livius de Valerio id omnino non tradit, de collega eius loco quodam (3. 1,2), ubi ex Antiate hausit (Nitzsch, Annal. 92 sq. cf. 90).

4) De cognominis *Lactucae* seu *Lactucini* origine cf. Plin. NH. 19,59. Tribuendum id huic quoque viro est cf. Borghesi, Oeuvres 9,44. Cichorius, De fast. cons. ant. 231.

5) cf. Borghesi, Oeuvres 9,183.

6) Diod. 14. 82,1 nomen gentile bis in fonte repertum semel scripsit, librarius lacunam falso explevit.

7) Collegia annorum 406—409 Diodorus inter se commutavit (Mommsen, Chron. 126. Soltau, Chron. 384), quod Clason (RG. 1,366) iniuria tueri vult.

auct. de vir. ill. 26,1), interrex 413 (Liv. 8 9,4), consul IV. 419 (Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch. CIL. I p. 512. Liv. 8. 16,4. Cassiod. Diod. 17. 40,1) Cales cepit[1]) et de Calenis triumphum egit (Fast. tr. CIL. I p. 455), interrex 421 (Liv. 8. 17,5), interrex 433 (Liv. 9. 7,15), triumvir coloniae deducendae 441,[2]) dict. 453? (Fast. Cap. CIL. I. p. 433. 566. Eph. epigr. 1.158. Chronogr. fast. Hisp. CIL. I. p. 516. Liv. 10. 3,3), consul V. 455 (Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch. l. l. Liv. 10. 5,13) legem de provocatione tulit,[3]) consul VI. suffectus 455 (Fast. Cap. CIL. I. p. 433. Liv. 10. 11,4) in Etruscorum fines invasit.

50. (22.) M. Valerius M. f. M. n. Maximus consul 442 (Fast. Cap. CIL. I. p. 432. Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch. ibid. p. 514. Liv. 9. 28,8. Cassiod. Diod. 19. 105,1. Frontin. de aquis 1,5) per Marrucinorum agros in Samnium aut Lucaniam proficiscens Pollitium urbem cepit, in Samnio belli reliquias persecutus de Samnitibus triumphavit.[4]) Hoc anno colonia Interamnam deducta est.[5]) Censor a. 447 Valerius vias fecit (Fast. Cap. CIL. I p. 432. Liv. 9. 34,25. Val. Max. 2. 9,2), consul II. 465 (Chronogr. fast. Hisp. Cassiod. CIL. I. p. 516 sq.),[6]) consul III. 468.[7])

51. (25.) M'. Valerius M. f. M. n. Maximus Messalla[8]) consul 491 (Fast. Cap. CIL. I. p. 434. Chronogr. fast. Hisp.

[1]) Livii (8. 16,4) narratio exornata est, nam *M. Fabius captivus Romanus* (§ 9) ex triumviro (§ 14) ductus est et oppidum captum aut castra oppressa esse, cum hostes diem festum agerent, saepe fingitur cf. velut Verg. Aen. 2,248 sq. 253. Diod. 2. 26,4. At Cales hoc anno omnino non expugnatas esse, iniuria Clason (RG. 2,331) contendit.

[2]) Fest. p. 340. *Corvi* cognomen me movet, ut de patre cogitem, non de filio (nr. 50), quod Haakh maluit.

[3]) Liv. 10. 9,3. De hac lege cf. velut Weissenborn ad l. l. Mommsen, StR. 1,156. 2,165. 3,353. Klinger, De dec. Liv. libri font. 14.

[4]) Narrationes Livii (9. 29,3) et Diodori (19. 105,5) hac ratione coniungendae sunt cf. Klimke, Der 2. Samniterkr. Progr. Königshütte. 1882 p. 12. Burger, De bello cum Samn. secundo. Diss. inaug. Lugd. Bat. 1884 p. 87 sq. Pflug, Liv. u. Diod. als Quellen für d. 2. Samniterkr. Progr. Waldenbg. 1889 p. 9. Soram eo anno captam esse, quod fast. triumph. (CIL. I. p. 456) indicant et Niebuhr (RG. 3,280 sq.) credidit, ab illis rebus repugnat. Fides propterea habenda videtur Livio (9. 24,1) qui a. 440 id factum esse tradit, nam etsi rem exornavit (cf. Mommsen, RF. 2,243), tamen de provinciis inter consules divisis hoc loco non loquitur (cf. p. 37. adn. 4.).

[5]) Liv. l. l. Diod. 19. 105,5. cf. Marquardt, StV. 1,50. CIL. X. p. 525.

[6]) Chron. pasch: τὸ γ' quia a. 462: *Μαξίμου τὸ β'* scil. Fabius Maximus.

[7]) Chronogr. CIL. I. p. 518. cf. p. 38. adn. 8.

[8]) Praenomen „*Manii*" fast. Cap., fast triumph., Polyb., Varro, Plin., „*Marci*" Naev., Val. Max., Censorin., Eutr., Cassiod. At „*M'.*" saepe in „*M.*" corruptum est et Naevii fragmentum: „*Naevius I. m. valeriu*" recte

Chron. pasch. ibid. 520. Cassiod.) Siciliae partem, quae ad orientem spectat, subegit, Carthaginienses et Hieronem regem ad Messanam devicit (Plin. NH. 35,22. cf. Naev. frg. 3,3 Vahlen = 35 Baehrens. Piso frg. 29), ob eam rem cognomen Messallae accepit (Fast. Cap. l. l.), triumphum egit (Fast. triumph. CIL. I. p. 457),[1]) tabulam pictam proelii illius in publico posuit,[2]) censor 502 (Fast. Cap. CIL. I. p. 434. Liv. ep. 18. Val. Max. 2. 9,7.).

52. (31.) M. Valerius M'. f. M. n. Maximus Messalla[3]) consul 528 (Fast. Cap. CIL. I. p. 435. Fast. Hisp. Chron. pasch. ibid. 522), legatus M. Laevini (nr. 34.) a. 544 in Africam praedandi et speculandi causa traiecit (Liv. 27. 5,1 et 8 sq. 7,3), a. 545, postquam Laevinus eum dictatorem dicere frustra temptavit (Liv. 27. 5,15), sub eodem legatus stipendia fecit (Liv. 27. 7,16).

53. (40.) M. Valerius M. f. M'. n. Messalla a. 561 praetor inter cives et peregrinos ius dixit (Liv. 34. 54,2. 55,6. Decretum de iure asyli Teiorum CIGr. 2,3045. Dittenberger. Sylloge. 204), a. 564 frustra consulatum petivit (Liv. 37. 47,7), consul 566 (Fast. Cap. CIL. I. p. 436. Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch. ibid. 526. Liv. 38. 35,1 et 7. Cassiod. Obsequ. 2 Jahn.) in Liguria nihil memorabile gessit (Liv. 38. 42,1), a. 580 legatus in Macedoniam missus (Liv. 41. 22,3. 42.

---

emendasse videtur Baehrens: „*Naevius IIII. valeriu*". Chron. pasch.: *ὀτ β'*, quia a. 489: *Μαξίμου* sc. Fabius Maximus. Sen. de brev. vitae. 13,5. falso: „*Corvinus*".

[1]) De rebus hoc anno gestis Polybius (1. 16,1) et Diodorus (23,4), apud quem numerus corruptus (Neumann, Zeitalter d. pun. Kr. 88 adn. 4.) *δραχμῶν ιε' μυριάδες* corrigendus videtur: *δραχμῶν ξ' μυριάδες*, ita congruunt, ut hic nonnullas res addat. At Philini narratio apud utrumque servata quasdam res omisit (Neumann, l. l. 85 sq.) neque Liviana ex epitomatoribus (Ep. 16. Flor. 1. 18, 2,5. Eutr. 2. 19,1. Oros. 4. 7,2) bene restitui potest. (cf. quae Pirogoff, De Eutr. brev ind. ac font. 20 adn. 1 coniecit.) Quibus de causis narrationes passim dispersae (cf. supra; minoris momenti sunt Sen. de brev. vit. 13,5 et Macrob. Sat. 1. 6,26. cf. Neuling, De belli Pun. prim. script. font. Diss. inaug. Gotting. 1875. p. 26) non ex Antiate fluxisse (Ihne, RG. 2,34 adn. 19. Neuling, l. l.), sed fide dignae videntur (cf. Neumann, l. l. Mommsen, RG. 1,515.).

[2]) Plin. NH. 35,22 Cic. ad fam. 14. 2,2 in Vatin. 9,21. Schol. Bob. ad l. l. p. 318 Or. (cum adnotatione Orellii.) cf. Jordan, Topogr. 1,2. 330 adn. 19. Mirum in modum Plinium interpretatur Willems (Le sénat 1,270): „*Messalla . . . rennommé comme peintre*"? De horologio, quod Messalla Romam transtulit, cf. Varro ap. Plin. NH. 7,214. Censorin. De die 23,7. Ideler, Handb. d. Chronol. 2,7 sq., de cognomine *Messallae* Mommsen, RF. 2,295, de forma eius Forcellini, Onomasticon.

[3]) De *Maximi* cognomine cf. Mommsen CIL. I. p. 484. Chronogr.: „*Torquato II et Flacco II*", error ortus ex adnotatione ad a. 530: „*Torquato III et Flacco III.*" *Corvinus* ap. Sil. Ital. 5,77 a poeta fictus est.

2,1), a. 582 decemvir sacrorum creatus (Liv. 42. 28,13), mortuus post a. 587 (quia in Livii libris qui exstant de eius morte nihil traditur).[1])

54. (45.) M. Valerius M. f. M. n. Messalla consul 593 (Fast. Cap. CIL. I. p. 437. Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch. Cassiod. ibid. 530. Gell. 2. 24,2. 15. 11,1. Suet. Rhet. 1. Ter. Eun. et Phorm. tit.), censor 600 (Fast. Cap. CIL. I. p. 437. Piso frg. 38 = Plin. NH. 17,244. Varro ap Fest. p. 285) cum collega theatrum exstruere voluit, sed a P. Scipione Nasica prohibitus est (Liv. ep. 48. Oros. 4. 21,4. Val. Max. 2. 4,2. Vell. Pat. 1. 15,3. App. BC. 1,28).[2])

55. M'. Valerius M. f. M. n. Messalla c. a. 630.[3])

56. M. Valerius M'. f. M. n. Messalla c. a. 660.

57. M'. Valerius (M'. f. M. n.) Messalla c. a. 660 uxorem duxit Hortensiam Q. Hortensii oratoris sororem (Val. Max. 5. 9,2).

58. Valeria (M'. f. M. n.)[4]) quinta Sullae dictatoris uxor post eius mortem filiam peperit (Plut. Sulla 35,5. 37,5).

Qui supersunt Valerii Messallae omnes fere notissimi sunt, quamobrem satis mihi visum est eos viros doctos laudare, qui copiosius de iis egerunt.

59. M. Valerius M. f. M'. n. Messalla Niger consul

---

[1]) *M. Messalla, qui duas Sibyllarum statuas ei, quam Sex. Pacuvius Taurus aed. pleb. constituerat, addidit* (Plin. NH. 34,22), non hic vir, sed Messalla Corvinus orator (nr. 65) videtur esse. Illam opinionem Klausen (Aeneas u. d. Penaten 1,288) protulit; huius argumentum est, quod Pacuvius a. 727 trib. pleb. erat (Pauly, RE. 5,1044 nr. 6 cf. praeterea O. Richter ap. Iw. Müller, Handb. 3,790.).

[2]) Cognomen „*Menogenis*" (Val. Max. 9. 14,5 Plin. NH. 7,55 ex eo Solin. p. 24,5 Mommsen) non huic „*Messallae censorio*" (C. de Boor, Fasti censorii 20), sed censori anni 700 (nr. 59) datum esse cum Mommseno (Eph. epigr. 3,2) puto.

[3]) M. Messalla (nr. 54) proavus sine dubio est M. Valerii Messallae Nigri (nr. 59) et M. Valerii Messalae (nr. 60); e quibus cum ille „*M. f. M'. n.*" esset, hic, si avus unus erat „*M'. f. M'. n.*" — quod supra conieci — si duo erant avi, „*M. f. M. n.*" erat. Utrum *Valerius Messalla a Q. Metello Numidico,* qui consul a. 645 in exilium ivit a 654, *accusatus* (repetundarum? Gell. 15. 4,1. cf. Meyer, Orat. Rom. frgm. 249) et *Valerius Messalla legatus Rutilii Lupi* a. 664 (App. BC. 1,40) idem fuerit (Haakh. nr. 56) an ille avus, hic pater alterius utrius Messallae habendus sit (Mommsen, Eph. epigr. 3,2), incertum est.

[4]) Plutarchus (Sulla 35,5) Valeriam *Messallae filiam Hortensii oratoris sororem* appellat, qui error hac ratione explicandus est: Valeria aut filia aut soror erat Messallae, qui Hortensiam in matrimonium duxerat (nr. 57). Haakh (nr. 77) illud maluit, mihi hoc probabilius videtur propter Plutarchi verba et propter aetatem. P. Sullam, cuius pater dictatoris frater erat, et M. Messallam (nr. 60) propinquitate inter se coniunctos esse Cicero (pro Sulla 6,20) iure dicit.

693, censor 700. (Haakh. nr. 76. Borghesi, Oeuvres. 1,402 sq. Mommsen, Eph. epigr. 3,1 sq. StR. 1,511 adn. 1. cf. Bardt, Die Priester der vier gross. Collegien. 28. Hölzl, Fasti praetorii. 43. C. de Boor, Fasti censorii. 28. Drumann, GR. 2,207 sq.)

60. M. Valerius (M'. f. M'. n.) Messalla (Rufus) consul 701. (Haakh. nr. 77. Borghesi, Oeuvres. 1,404. cf. Bardt, Die Priester. 25. Hölzl, Fasti praet. 47. Mommsen, Münzw. 630. nr. 271. Drumann, GR. 3,3. Lange, RA. 3,344. 387. Teuffel, Gesch. d. röm. Litt. 1,392).

61. M. Valerius M. f. M. n. Messalla Potitus consul 722, consul II. 725. (Haakh. nr. 96. Borghesi, Oeuvres. 1,412. Klein, Fasti consulares. 6 et 7. Waddington, Fastes des prov. Asiat. 684. Teuffel, Gesch. d. röm. Litt. 1,634).

62. L. Valerius (M. f. M. n.) Messalla Volusus consul 758. (Haakh. nr. 104. Klein, Fasti cons. 16. Waddington, Fastes des prov. Asiat. 691. cf. Eph. epigr. 3,13).

63. Valeria (M. f. M. n.?) uxor Q. Pedii cos. 711. (Plin. NH. 35,21: „Ex familia" Messallae Corvini, fortasse eius soror).

64. Valeria (M. f. M. n.) uxor Ser. Sulpicii (M. Haupt, Hermes. 5,33 = Opuscula. 3,502).

65. M. Valerius M. f. M. n. Messalla Corvinus cos. 723 (Haakh. nr. 95. Klein, Fasti cons. 6. Borghesi, Oeuvres. 5,529. Teuffel, Gesch. d. röm. Litt. 1,477 sq. Eph. epigr. 4,193).

66. M. Valerius M. f. M. n. Corvinus Messalla sive Messallinus cos. 751. (Haakh. nr. 100. Klein, Fasti cons. 14. Liebenam, Die Verwaltungsbeamten. 1,152. Teuffel, Gesch. d. röm. Litt. 1,635).

67. M. Valerius M. f. (M. n.) Messalla cos. 773. (Henzen, Acta frat. arval. 199. dubitat, an idem sit atque consul anni 751 [nr. 66], qui certo illa aetate adhuc vivebat. cf. Tac. Ann. 3,34. Equidem idem de hoc viro iudico, quod Haakh. nr. 112 et Nipperdey ad Tac. Ann. 1,8).

68. M. Valerius M. f. M. n. Messalla Corvinus consul 811. (Haakh. 116. Klein, Fasti cons. 37. Henzen, Acta frat. arval. 199).

69. M. Aurelius Cotta Messallinus consul 773. (Haakh. nr. 101. Klein, Fasti cons. 23. Henzen, Acta frat. arval. 199. Teuffel, Gesch. d. röm. Litt. 1,635. Sievers, Studien z. Gesch. d. röm. Kaiser. 81).

70. Valeria (M. f. M. n.) Messallina uxor Statilii Tauri cos. 764. (Borghesi, Oeuvres. 5,529).

71. (M.) Valerius (M. f. M.'n.) Messalla triumvir monetalis 701. (Borghesi, Oeuvres. 9,414. Mommsen, Münzw. 630. nr. 271).

72. M. Valerius (M. f. M.'n.) Messalla Barbatus Appianus e gente Claudia in Valeriam adoptatus, consul 742 (Haakh. 98. Borghesi. Oeuvres 4,415 sq. Klein, Fasti cons. 11.)

73. Valeria M. f. (M. n.) Messallina Claudii imperatoris uxor interfecta a. 801.

Caput VI.

De rebus in Valeriorum honorem fictis.

In intestinis discordiis Valerii semper plebis amicos se praestitisse dicuntur, etsi haec opinio factis vix nititur. Nam ex institutis Poplicolae ea, quae maxime popularia laudantur, nequaquam bene testata sunt: Censum ab eo habitum, senatum suppletum, quaestores creatos esse cum alii scriptores, tum Livius ignorant et ex his rebus altera sine dubio ab Antiate ficta,[1]) altera in vetustioribus quoque annalibus relata[2]) e vanis coniecturis orta est.[3]) Dubia est lex de regno abolendo, quam Mommsen[4]) genuinam putat, atque etiam contra legem celeberrimam de provocatione graves prolatae sunt dubitationes.[5]) Attamen si hanc unam legem Valerio vindicamus et concedimus propter eam Valerium cognomen Poplicolae accepisse,[6]) nihilominus constat, eum plebi haud ita profuisse ac providisse.[7]) Lex quoque Valeria Horatia de provocatione ex patrum potissimum commodo erat[8]) neque ex

[1]) Lectio senatus ap. Fest. p. 254. Plut. Popl. 11,2. cf. Niebuhr RG. 1,551. Mommsen, StR. 3,964 adn. 3.

[2]) Quaestores a Poplicola institutos praeter Plutarchum Dio (frg. 14,6 Melb. ap. Zon. cf. Mommsen StR. 2,525 adn. 2. Büttner-Wobst, Comment. Fleckeisenianae 145) narrat.

[3]) cf. Mommsen, StR. 2,523 sq.

[4]) StR. 2,16 adn. 1. Contra eum Herzog, Glanbwürdigkt. d. aus d. röm. Rep. bis z. J. 387 d. St. überl. Gesetze. Tübing. 1881. p. 9.

[5]) Mommsen, Röm. Feldmesser 2,226. E. Meyer, Rhein. Mus. 37,626 adn.

[6]) Fortasse haec lex prima in centuriatis comitiis lata est cf. Cic. Rep. 2. 31,53. cf. Herzog, Glaubwürdigkt. 10.

[7]) De hac re nequaquam bene judicat Zumpt, Criminalrecht d. röm. Rep. 1,1. 161 sq. melius Richter, De P. Val. Popl. legislatore. Diss. inaug. Gotting. 1873. p. 3 adn. 10. p. 11. 18. 19. 26.

[8]) Tamen Mommsen (StR. 2,703) hanc legem et a consulibus latam et plebiscitum a Duillio tribuno rogatum putat, at plebiscito opus non erat (Madvig, Verfassung u. Verwaltung 1,242, Herzog, Glaubwürdigkt.

duabus aliis concludi potest, permagnum favorem consulum erga plebem fuisse; altera de magistratibus plebis pristinam legem confirmavit,[1]) altera de plebiscitis adeo ambigua est, ut E. Meyer[2]) plane fictam eam putaverit; illud satis dubium est, an ultro a patribus concessa et consulum auxilio perlata sit, neque ex his legibus argumenta studii Valeriorum in plebem sumenda sunt.

Omnino L. Valerius Potitus in vetusta memoria non tam insignis videbatur, quam in recentioribus annalibus. Nam Diodorus (12. 25,1), qui antiquissimum scriptorem sequitur,[3]) secessione omissa refert, per legatos inter patricios et plebeios actum esse (*διαπρεσβεύεσθαι*), Cicero,[4]) qui paulo recentiorem adhibuit, narrat, his a tribus legatis persuasum esse, ut de sacro monte in Aventinum plebi concessum redirent. Livius (3. 50,16. 53,1) qui Aventinum iam antea primum occupatum esse tradit, legationum numerum auxit ita, ut tres viros in Aventinum frustra euntes, Valerium et Horatium in sacrum montem missos ac plebem inde in Aventinum reducentes faceret. Memoria praeterea dignum est quod a priscis auctoribus Horatius Valerio anteponitur, apud posteriores nihil nisi comes inferior eius est.[5]) Quae praeterea de his viris traduntur, exornandi causa addita sunt: praeclarae orationes in senatu ab iis habitae ante secessionem (Liv. 3. 39,2 sq. Dion. 11,4)[6]) et paulo post de rogatione Canuleia (Dion. 11,59);[7]) eadem de causa ad consilia, quae patricii de hac habuerant, non admissi esse feruntur (Liv. 4. 6,7. Dion. 11,57). Tres igitur secessiones a Valeriis compositae traduntur, sed cum iam supra viderimus, M'. Valerium ab Antiate in res a. 260 gestas et M. Corvum ab eodem in seditionem anni 412 inductos esse, de hoc L. Potito idem iudicandum erit.

Simili ratione persaepe Valerii se gessisse feruntur et ex comparatis inter se narrationibus semper fere idem auctor manifestus fit. Plutarchus in Poplicolae vita (1,1) narrat, Volusum Valerium de Romanorum et Sabinorum bello componendo optime meritum esse, sed neque ipse in Romuli vita

---

22. 25. Röm. Staatsverf. 1,195) et auctor eius ex a. 283 falso hoc anno positus (Niese, De annal. Rom. observ. I. p. VIII) semper cum rebus fide indignis (Liv. 2. 61,2. 3. 52,2. 54,15) coniungitur.

1) Lange, RA. 1,637.
2) Rh. M. 37,624.
3) Mommsen, RF. 2,287 contra Schweglerum, RG. 3,69 sq.
4) Rep 2. 37,63 pro Corn. frgm. 24. cf. Ascon. ad l. l. p. 69,6 Kiessl.
5) E. Meyer, Rh. M. 37,624 adn. 1.
6) Ex Antiate et Macro cf. Niebuhr, RG. 2,389. Nitzsch, Annal. 143 sq.
7) Ex Antiate cf. Nitzsch, Annal. 152.

(19), ubi Catonem sequitur,[1]) neque Livius neque Dionysius, qui Gracchanae fere aetatis annalibus usi sunt,[2]) hanc rem commemorant, quam ab Antiate aut a Licinio excogitatam esse inde efficitur. Eundem virum post Romuli mortem regem fieri noluisse et Numae persuasisse, ut regnum susciperet, Plutarchus in Numae vita (5,2) refert, in qua interdum Antiatem,[3]) maxima ex parte Varronem sequitur,[4]) qui et ipse illum saepe adhibuit. Utramque igitur narrationem ex eodem annalium scriptore haustam et primum exemplum multarum eodem consilio fictarum praebere existimo.

Quocum aptissime comparari potest, quod a Valeria Poplicolae sorore Coriolani matri uxorique persuasum esse traditur, ut ad eum profectae patriam servarent. Hanc quoque rem a Dionysio (8,39)[5]) relatam ex Antiatis historia fluxisse iam dudum viri docti perspexerunt.[6])

Quid dicam de Dionysii consuetudine, Valeriorum gentem *δημοτικωτάτην, φιλόδημον, δημοκόλακα* opponendi Claudiae familiae, quippe qui quattuor locis (6,23. 58. 88. 7,54) diligentissime exponat orationes contra Appium Claudium habitas a M'.Valerio Maximo, quem ne exstitisse quidem verisimile est. Quae a. 256 M. Valerius Poplicolae filius de aere alieno levando contra Appium Claudium locutus est, ficta sunt[7]) neque maior fides habenda est iis, quae a. 283 frater eius Publius contra Appium Claudium filium huius consulem dixit (Dion. 9,49), nam in plebiscitis, in quorum numero rogatio Publilia erat, patres omnino auctores non fiunt.[8]) Eiusdem

[1]) Peter, Quellen Plutarchs 156. Mommsen, Hermes. 21,578 adn. 1.

[2]) Mommsen l. l. 574. Dionysius (2,45) a Gellio pendet (cf. Kiessling, De Dion. Hal. auct. Lat. 34. Peter, Rell. 168 adn. 12), in eo autem capite, in quo narrat, *e Sabinis nullum nisi Volusum Valerium et duos alios patres familias Romae mansisse,* (ut Curium incolae superesse videantur) a recentiore quodam fonte (cf. *κατὰ τὴν ἱερὰν ὁδὸν κτλ.* Dion. 2,46 cum Fest. 290 et *Κούρτιος ὁ τὴν λίμνην διανηξάμενος* cum locis a Schweglero [RG. 1,484 adn. 2] collatis).

[3]) Cap. 22,4. Peter, Quellen Plutarchs. 172.

[4]) Peter, Quellen Plutarchs. 171.

[5]) Plut. Coriol. 33,2 et App. Ital. 5. 2,3, qui solita cum neglegentia Valeriam *Poplicolae filiam* appellat, Dionysium sequntur cf. Peter, Quellen Plutarchs. 10. Mommsen, RF. 2,116 sq.

[6]) Kiessling, De Dion. Hal. auct. Lat. 26. Nitzsch, Annal. 58. Mommsen, RF. 2,132 sq. Mulierum nomina quaecunque in vetustissimis rebus Romanorum commemorantur, admodum suspecta sunt cf. Niese, De annal. Rom. observ. I. p. V.

[7]) Dion. 5,64. (ed. Jacoby cf. adn. crit.) Virck, Quellen des Liv. u. Dion. 39. Peter, Rell. CCCXVI.

[8]) cf. Schwegler, RG. 2,541 adn. Mommsen, RF. 1,209. StR. 3,151 adn. 3. Huc pertinet, quod C. Claudio auctore senatus L. Potito triumphum non concedit (Liv. 3. 63,8. Dion. 11,49).

consulis praeclara oratione a. 294 plebi persuasum esse, ut contra Appium Herdonium arma caperet, Livius (3. 18,6. 19,1) refert, apud quem Antiatis vestigia exstant,[1]) cum Dionysius (10,15) maiore iure plurimum tribuat iuriiurando a Valerio dato. Alii quoque Valerii ab Antiate inducuntur in externis periculis optima suadentes, non solum fabulosa aetate Poplicola in Porsennae bello (Dion. 5,23. Plut. Popl. 18,1), sed etiam a. 543 Hannibale appropinquante P. Valerius Flaccus[2]) et a. 551, cum legati Carthaginiensium Romam venirent, M. Valerius Laevinus.[3])

Interdum in legationibus inveniuntur Valerii, de quibus dubitari potest. Certo tollendus est M. Valerius a. 253 legatus ad Latinos (Dion. 5,50), item P. Valerius Poplicola a. 262 in Siciliam frumenti emendi causa missus (Dion. 7,1).[4]) E fastis tribunorum militum hausta puto nomina legatorum, quos a. 357 ad oraculum consulendum Delphos se contulisse Plutarchus (Camill. 4,6) refert, etsi Borghesi[5]) ea servare studet; nam Valerius Potitus et Fabius Ambustus a. 359 hoc munere fungebantur, Licinius — quem Calvum, non Cossum esse oportet — a. 358. Insequenti autem anno eundem Valerium Delphos missum, ut donum e Veientium praeda eo perferret, Livius (5. 28,2) tradit, cuius narrationem, quia cum Diodoro (14. 92,2) congruat, Nitzsch[6]) vetustam esse censet, quamquam Dionysium[7]) de celeberrima illa legatione multo probabiliora tradere Niebuhr[8]) iure contendit. Unus Livius legatorum nomina affert, sed donum in Massiliensium thesauro positum esse omittit. Et cum in posterioribus libris, ubicunque fieri potest, Massiliensium et Romanorum amicitiam laudet, tam priscis temporibus autem ignoret, ipse e fonte antiquissimo,

[1]) Bonghi, Nuova Antol. II. 19,441 sq. Funus quoque publicum Valerii (Liv. 3. 18,11. 22,1.) aliorumque virorum (Schwegler, RG. 2.59 adn. 5. adde Augustin. De civ. Dei 5,18) ab Antiate a posterioris aetatis usu translatum videtur (cf. Mommsen, StR. 3,1187 adn. 4. 1188 adn. 2. Marquardt, PL. 350.).

[2]) Liv. 28. 8,6. Nissen, Ital. Landesk. 1,22 adn. cf. Hesselbarth, Dritte Dekade. 505 sq.

[3]) Liv. 30. 23,5. Zieliński, Die letzten Zahre des 2. pun. Krieges. Leipzig 1880. p. 44 sq. 130 sq.

[4]) Nitzsch, Annal. 58. Mommsen, RF. 2,132.

[5]) Oeuvres. 9,183. Quod Licinius homo plebeius legationi praeest, fortasse Licinio Macro, quem Dionysius Plutarchi auctor saepissime adhibuit, tribuendum est.

[6]) Annal. 202 cf. 256. De ipsa re cf. Schwegler, RG. 3,230.

[7]) Apud Plut. Cam. 8,5. et App. Ital. 8. cf. Peter, Quellen Plutarchs. 22.

[8]) RG. 2,546 sq.

quo Diodorus usus est, Fabio[1]) scilicet aut Timaeo, non hausit, sed e recentiore, qui illud omisit, legatorum nomina adiunxit.

Satis magnus deinde numerus est Valeriorum, qui in bellis legati aut tribuni gloriam sibi paravisse feruntur et semper fere in iis Livii capitibus inveniuntur, quae ex Antiate fluxisse alia argumenta demonstrant. At ab antiquissimis temporibus ordiendum est, in quibus Poplicolae liberi excellebant. Valeriam eius filiam fortissimam ab Antiate in Cloeliae locum illatam esse, Peter[2]) recte exposuit, cuius argumentationi pauca addam. Quae Plinius (NH. 34,22 et 28) de Horatii Coclitis et Cloeliae statuis dicit, ita explicanda videntur, ut eius auctor Pisoni (frg. 20) adversatus, Plutarcho (Popl. 16,10. 19,9 cf. Serv. Aen. 8,646) et libro de vir. ill. (11,2 13,5)[3]) adsensus rettulerit, utramque a civibus exstructam esse. Antiati id tribuendem esse puto, quia Plinius in libro tricesimo quarto praeter hunc et Pisonem nullum annalium scriptorem adhibuit[4]) et perturbatio, quam Plinius (NH. 34,29) attulit, cum dicit statuam — Veneris Cluiliae, quae totius fabulae originem praebuit[5]) — Valeriae vindicatam esse ab Annio Fetiali, facile tolli potest. Nam etsi nihil fere de hoc scriptore constat, tamen non est, cur Augusti aequalem eum putemus:[6]) immo statuam ipsam iam a. 643 deperditam esse verisimile est.[7]) Qua de causa Urlichs, qui initio fere septimi urbis saeculi Annium Fetialem scripsisse censet, propius ad verum accessisse mihi videtur, praesertim cum Annius opponatur Pisoni eius aetatis scriptori et desit in Pliniani illius libri indice. Itaque testimonium eius non a Plinio, sed ab eius auctore Antiate allatum esse puto.[8]) Praeter hanc filiam et Postumium Balbum Poplicolae generum[9]) filii quoque Publius et Marcus in pugna Regillensi

---

[1]) Mommsen, RF. 2,282. Volquardsen, Quellen des Diod. in B. 11—16. Kiel 1868. p. 20 adn. 1.

[2]) Quellen Plutarchs. 49 sq. cf. Rell. CCCVIII. Virck, Quellen des Liv. u. Dion. 25.

[3]) cf. Vinckesteyn, De font. libri de vir. ill. 68.

[4]) Varro, Verrius, Nepos, qui praeterea respici possunt, et ipsi ab annalibus pendent.

[5]) Schwegler, RG. 2,186.

[6]) Teuffel, Gesch. d. röm. Litt. 1,608.

[7]) cf. Schwegler, RG. 2,56. adn. 2. Detlefsen, De arte Rom. antiqu. II. 1868. p. 12. Urlichs, Quellenregister zu Plinius' letzten Büchern. Würzbg. 1878. p. 5.

[8]) Quae Plinius ex Annio fortasse hausit (NH. 33, 138. 36, 107. cf. Urlichs, l. l. 16,11. cf. Brunn, De auctor. indicib. Plinian. Bonn 1856. p. 27) huic opinioni non repugnant.

[9]) Plut. Popl. 22,3. cf. Kiessling, De Dion Hal. auct. Lat. 25. Quoniam in gente Postumia non *Balbi* cognomen, sed *Albi* invenitur, suspicor littera *P* in verbis γὰρ Ἄλβου bis scripta corruptelam ortam esse.

interfecti (Dion. 6,12) tollendi sunt, primum quia proelii memoria fabulis plane obscurata est, deinde quia Dionysius hoc loco Antiatem sequitur.[1] Quamquam fieri potest, ut *Marcus Poplicolae filius* fuerit,[2] tamen malim cum Ihnio[3] eum ad M. Valerii patrui in illo proelio occisi exemplum fictum putare. Publium autem Dionysius ipse postea saepe commemorat, quamobrem eum aut in Publii aut in patris nomine errasse aut duos eiusdem praenominis fratres ab Antiate excogitatos existimo.[4] At mittamus laborem inutilem vanumque dissensiones conciliandi, nam fabulae istae ab Homerica ratione fingendi non multum absunt.[5]

Posterioribus quoque temporibus satis magnus numerus Valeriorum invenitur, quorum res in bellis bene gestae aliunde non notae in iis Livii partibus enarrantur, quae ex Antiate fluxerunt. Sunt autem hi:

M. Valerius legatus Papirii dictatoris a. 429.[6]
M. Valerius legatus Papirii dictatoris a. 444.[7]
M. Valerius tribunus militum a. 457.[8]
P. Valerius Flaccus legatus Marcelli a. 538.[9]
L. Valerius (Flaccus) tribunus militum a. 542.[10]
M. Valerius Laevinus a. 548 copiis quibusdam praepositus, etsi nullo tum magistratu fungebatur.[11]
L. Valerius Flaccus legatus L. Furii a. 554.[12]

---

[1]) cf. supra p. 19 adn. 1.
[2]) De Dion. 5,64. cf. supra p. 56.
[3]) Forschungen. 46.
[4]) Niebuhr, (RG. 1,585) non bene iudicat, Poplicolam ipsum tum cecidisse, etsi annus mortis eius qui vulgo traditur fide auctoritateque caret cf. Schäfer, Comment. Mommsenianae 6.
[5]) Zarncke, Comment. Ribbeckianae. 275 adn. 1.
[6]) Livii (8. 35,10) narratio artissime cohaeret cum Papirii Fabiique certamine, quod ex Antiate hausit (Clason, RG. 2,34. 37. cf. supra p. 33).
[7]) Liv. 9. 40,11 et 21. ex Antiate cf. Klimke, Der 2. Samniterkrieg. 14 adn. 10. Pflug, Liv. u. Diod. als Quellen für d. 2. Samniterkr. 12 sq. Nomina legatorum M. Valerii et P. Decii e fastis anni 445 (Niese, De annal. Rom. observ. I. p. VI.) et e fastis consularibus anni 442 translata sunt.
[8]) Liv. 10. 14,10. cf. Klinger, De dec. Liv. lib. font. 24.
[9]) Liv. 23. 16,3. cf. Vollmer, Quellen d. dritten Dek. des Liv. Progr. Düren. 1881. p. 15. Egelhaaf, Histor. Zeitschrift. 53,464 sq.
[10]) Liv. 25. 14,6 (ex eo Val. Max. 3. 2,20. cf. Zschech, De Cic. et Liv. 30) cf. Hesselbarth, Dritte Dek. 496 sq.
[11]) Liv. 28. 46,13. cf. Friedrich, Biographie des Barkiden Mago. (Unters. aus d. alt. Gesch. 3) Wien 1880. p. 52. 54.
[12]) Liv. 31. 21,8. cf. Nissen, Krit. Unters. 139. Friedrich, Biogr. d. Bark. Mago. 37. cf. 29. 34. Quae Unger (Philol. Suppl. 3,2. 34) obiecit, momenti non sunt.

M. Valerius Laevinus legatus Aemilii Paulli a. 573.[1])

His exemplis unum addam, quod maximi momenti videtur esse: A. 539 legati Philippi regis et Hannibalis capti Romam ducuntur a L. Valerio Antiate (Liv. 23. 34,10). Quamquam de summa rerum Livius cum iis, quae Appianus (Maced. 1) ex Polybio sumpsit, congruit,[2]) tamen rem paulo copiosius enarrat et in extrema potissimum parte ab illo discrepat. Nam apud Appianum legati ab eadem triremi Romana capiuntur et Romam portantur, apud Livium praefectus classis primum „*cercuros*" ad persequendos eos mittit, deinde quinque naves celerrimas eligit, quibus Romam deducantur. Ex voce „*cercuri*", quam Livius alias nusquam nisi uno loco ex Polybio hausto (33. 19,10) exhibet,[3]) de fonte nihil concludi licet, nam eadem iam a priscis auctoribus Latinis (Plaut. Merc. 87. Stich. 368. 413. Lucil. 8,19. 14,2. ap. Non. 13,533) usurpata est; maioris momenti reliquae discrepantiae sunt, quae Livium non solum ex Polybio, sed etiam ex auctore Romano hausisse ostendunt. Cogitari potest de Coelio et Antiate; cum huius mos sit singulas res accuratissime describere,[4]) eum Livii fontem esse cum Hesselbarthio existimo. Hac argumentatione efficitur, L. Valerium Antiatem — iure an iniuria nec scimus nec curamus — in historiam inductum esse a Valerio Antiate annalium scriptore atque cum praeter hos duos nullum eiusdem nominis virum inveniamus, ad opinionem Niebuhrii[5]) aliorumque accedendum videtur, qui L. Antiatem unum e maioribus scriptoris fuisse putant. Quoniam autem ille sub duobus Valeriis, M. Laevino praetore (nr. 34) et P. Flacco praefecto classis (nr. 16) munus militare inferius — in classe, nam Antii incolae rebus maritimis semper excellebant — gessit et magistratus Romani, penes quos ius mandandi imperii erat,[6]) haud raro propinquos suos rei gerendae socios sibi adsumebant, L. Antias necessitudine quadam cum iis coniunctus aut — quod probabilius est — cliens patriciae gentis putari potest, quod idem de Antiate scriptore iudicandum est.

At revertamur ad res a Valeriis legatis gestas, e quibus haec paulo accuratius tractanda est: Pugna ad Aegates in-

---

[1]) Liv. 40. 27,3. cf. Nissen, Krit. Unters. 94 sq.

[2]) Scott, Makedonien u. Rom. I. p. 13.

[3]) Hesselbarth (Dritte Dek. 471.) iniuria hanc vocem Appiano ignotam esse censet; legitur enim Libyc. 75.

[4]) cf. imprimis supra p. 27.

[5]) Vorträge üb. RG. 1,32.

[6]) Mommsen, StR. 1,221 sq.

sulas commissa a Polybio (1. 60 sq.) et Diodoro (24. 11), qui Philinum, ut ipse ait, sequitur, et epitomatoribus Livii (Ep. 19. Flor. 1. 18,33 sq. Oros. 4. 10,4) ita describitur, ut omnis laus C. Lutatio Catulo tribuatur neque praeter eum ullius ducis Romani mentio fiat. Unus Eutropius (2,27) addit, *consulem in priore quodam proelio vulneratum* (cf. Varro ap. Non. 19,552) *aegrotum fuisse*, Zonaras (8,17, p. 221 Dind.) *cum illo Q. Valerium Faltonem* (nr. 40) *missum et Catulum ad Drepanum vulneratum esse.* Neuling[1]) a navium maxime numeris profectus, Polybium et Diodorum ex Philino, Livium ex Antiate, Dionem e Livio hausisse putat, omisit autem quae de Faltonis triumpho acta triumphorum (CIL. I. p. 458) et Valerius Maximus (2. 8,2), quem a Livio pendere verisimile est,[2]) tradunt. Antiatem vero Livii fontem fuisse, navium numerus et Hannonis fuga demonstrant; consulem vulneratum propraetori imperium dedisse et postea de triumpho cum hoc disceptasse, non solum apud hunc, sed etiam apud alios scriptores Romanos fortasse legebatur. Nam an Livius triumphum Faltonis narraverit, dubium est, quia in libro vicesimo octavo (28. 38,4) usque ad annum 548 neminem triumphasse dicit, qui sine magistratu rem gessisset. Quod si ex alio fonte Faltonis triumphi ignaro emanavit, Livius Valerii Maximi auctor non est. Neque enim fasti triumphales, qui triumphum adnotant, corrupti neque Livii illud errore ortum est, ut Neuling[3]) putat, sed e diversis fontibus hauserunt. Et iure Mommsen[4]) e Valerio Maximo argumentum sumit, quo comprobetur, Faltonem triumphare non potuisse, iniuria alio eiusdem libri loco[5]) fastis fide habita sibi ipsi adversatur. Similitudines, quas affert, nihil valent: Praetores enim, qui annis 565 et 587 una cum consulibus triumpharunt, suo imperio classi praeerant, cum consules nihil nisi terrestre bellum gererent; Falto autem non suis, sed Catuli consulis auspiciis victoriam consecutus erat. Et mihi quidem non solum triumphus ab Antiate fictus et propterea tollendus, sed etiam proelii illa narratio, qua Valerii gloria augetur,[6]) fide indigna videtur.

---

[1]) De belli Pun. primi script. fontibus. 55.
[2]) Zschech, De Cic. et Liv. 40.
[3]) De belli Pun. primi script. font. 57.
[4]) StR.. 1,95 adn. 1.
[5]) StR. 1,127 adn. 4.
[6]) Qualis legitur etiam apud Mommsenum (RG. 1,534) et Ihnium (RG. 2,92).

Ut omnia, quae in Valeriorum honorem ab Antiate tradebantur, ficta esse existimem tantum abest, ut hunc potissimum scriptorem res ab iis gestas diligentissime enarravisse putem. Cuius rei argumentum praebere mihi quidem videtur Valerii Maximi caput (2. 9) „*de nota censoria*“ inscriptum, in quo unum exemplum (§ 1) e Varrone, bina e Cicerone (§ 3 et 9 a) et Livio (§ 4 et 8) hausta sunt,[1]) quae restant omnia ex ignotis fontibus fluxerunt.[2]) Atque in his quidem de Valeriis censoribus agitur ita, ut eorum laudibus aliquid accedat. Et quoniam praeter L. Flaccum, cuius gloria Catonis collegae meritis obscurata est, omnes Valerii, qui censura ante Antiatis aetatem functi erant,[3]) propter severitatem laudantur, haec exempla ex uno fonte excerpta puto, scilicet ex Antiate.[4])

Ab eodem duos Valerios sacerdotes in vetustas fabulas insertos esse existimo. In Horatiorum enim certamine enarrando Livius vetustas caeremonias describit, quibus foedera fiunt, et bis (2. 24,4 et 5) de fetiale locutus nomine non allato ut additamentum aliunde depromptum subito adnectit (§ 6): „*Fetialis erat M. Valerius, is patrem patratum Sp. Fusium fecit*“. Ac fetiales Tullo regnante iam fuisse, permulti scriptores negabant, velut Livius ipse (1. 32,4) Cincium secutus,[5]) fabula autem, quae id agit, ut priscae consuetudinis exempla illustrentur, certa nomina[6]) praebuisse non videtur, quae ne in aliis quidem eiusdem generis narrationibus (Liv. 1. 18,8. 26,7. 32,4. 9. 5,4) inveniuntur nisi in ea quae refert, P. Decium a. 413 a *M. Valerio pontifice* morti consecratum esse (Liv.

---

[1]) cf. Zschech, De Cic. et Liv. 20. 32. Krieger, Quib. font. Val. Max. usus sit. 59. Liv. 24. 18,2 sq. Cic. pro Cluent. 42,119.

[2]) Krieger (l. l. 12) unum exemplum (§ 7) e Livio repetere vult, at in epitoma libri duodevicesimi omnino id non exstat et apud Frontinum (Str. 4. 1,22), quem omnes res ad primum bellum Punicum pertinentes e Livio sumpsisse verisimile est (cf. Bludau, De fontibus Frontini. Diss. inaug. Regim. 1883. p. 27. 29. 33. 34. Ind. locorum), equitum numerus (*Quadringenti equites* cf. Dion. 6,44 ex Antiate? supra p. 22. adn. 8.) non traditur et res admodum insolita (Mommsen, StR. 2,377 adn. 1) credibilior videtur eo, quod illos a censoribus notatos, aerarios factos ex senatus consulto et populi iussu refert; Valerius utramque rem censoribus attribuit.

[3]) L. Flacci (nr. 24) censura a. 657 gesta ab Antiate narrata erat, nam exstant fragmenta eius usque ad annum 663 (frg. 64). *M. Messalla* autem, de quo Val. Max. (§ 9 b) loquitur, non Messalla Niger censor a. 700 (nr. 59), sed censor anni 600 (nr. 54) vir minus notus videtur fuisse.

[4]) De Antiate a Valerio Maximo adhibito cf. Kranz, Beitr. zur Quellenkrit. des V. M. 20 sq. Krieger, Quib. font. 65 sq.

[5]) Weissenborn ad l. l. Marquardt, StV. 3,417.

[6]) Furius quidam sacerdos (Q.? pont. max.) etiam a. 305 a recentissimis auctoribus (ap. Liv. 3. 54,5 cf. supra p. 55) inducitur, quo vetustiores (ap. Ascon. p. 69,6 Kiessl.) *Papirium* exhibent.

S. 9,4 cf. auct. de vir. ill. 26,5). Duobus igitur locis, quibus cum fabulis et sacris formulis certa nomina coniunguntur, Valerii occurrunt aliunde non noti neque casu id accidisse credibile est, sed consulto ab eodem auctore uterque fictus videtur.

Ex honoribus, qui falso Valeriis attribuuntur, iam commemoravi regnum Voluso oblatum; fide indignum quoque est M'.Valerium principem senatus fuisse, quod in elogio eius legitur, et postea P. Valerium Poplicolam ac L. Valerium Potitum, quod Dionysius (9,49. 11,59) narrat.[1])

Transeamus ad magistratus fictos huius gentis ac primum quidem eos afferamus, quorum auctorem pro certo haberi licet.

In rebus anni 290 enarrandis Livius (3. 5,3) plane cum Dionysio (9,65) congruit,[2]) addit autem numerum caesorum hostium et nomen praefecti urbis L. Valerii. Et cum illum ex Antiate (frg. 19) haustum esse constet, nonne de hoc idem iudicandum est, praesertim cum praefectorum urbi nomina in fastis non notata[3]) et quaecunque traduntur suspecta sint?[4])

Idem fere duobus annis post iterum invenimus: Res a. 298 gestas Livius (3. 8,1) simili ratione qua Dionysius (9,69) refert, adiungit caesorum hostium numerum, quem „*in quibusdam annalibus*" invenit (§ 10) et P. Valerii Poplicolae interregis nomen (§ 2). Illos annales Antiatis fuisse[5]) et utramque rem ex iis fluxisse verisimile est.

Simile Antiatis vestigium in M. Valerii Laevini (nr. 34) vita exstat. Nam Livius, ut iam Drakenborch[6]) adnotavit,

---

[1]) Apud Dionysium 11,4. Appius Claudius L. Potitum adloquitur: „*ὅταν οὗδε οἱ πρεσβύτεροι καὶ τιμιώτεροί σου γνώμην ἀγορεύσωσι τότε καὶ σὺ κληθεὶς ἐρεῖς κτλ.*" Paulo post (11,59) consul *ἐρωτᾷ πρῶτον Οὐαλέριον.*

[2]) Nitzsch, Annal. 86.

[3]) Mommsen, StR. 1,664 adn. 1.

[4]) E praefectis annorum 258 (Dion. 6,2) 289 (Liv. 3. 3,6) 296 (Liv. 3. 29,4. Dion. 10,22) unusquisque e fastis consularibus superioris anni translatus est; ex iis, qui annis 267 (Dion. 8,64) 292 (Liv. 3. 8,7. 9,6. Dion. 9,69, 295 (Liv. 3. 24,2) praefecti fuisse dicuntur, unusquisque tribus annis ante consulatu functus est. Qui restant Sp. Larcius praef. 256 (Dion. 5,75) et T. Larcius praef. 260 (Dion. 6,42) apud Livium non nominantur et fide vix digni sunt.

[5]) cf. Nitzsch, Annal. 99. Similem numerum apud Antiatem saepius (frg. 30. 31. 35. Plut. Popl. 20,2) legi adnotat Kiessling, De Dion. Hal. auct. Lat. 23 adn. Cum numero signorum captorum cf. Ant. frg. 61: „*viginti septem hostiae*", frg. 56: in duobus proeliis viginti septem milia hostium caesa.

[6]) Adn. ad Liv. 26. 22,12. Willems, Le sénat 1,503 adn. 4. nihil nisi priorem locum novit et emendat: „*praetor bis consulque*", quod cum aliis de causis, tum quia bis idem traditur probandum non est.

duobus locis (29. 11,3. 30. 23,5) hunc virum „*bis consulem*“ appellat et quamquam ipse nullum eius consulatum praeter annum 544 commemorat, tamen Chronographus[1]) anni 534 consules nominat *Laevinum et Scaevolam,* cum reliqui auctores omnes L. Veturium Philonem et C. Lutatium Catulum exhibeant, et anno 544 *Laevinum consulem II.* Atque alterum quidem Livii locum ex Antiate totum fluxisse Zieliński[2]) ostendit, de priore idem demonstrare conabor. Cum omnia, quae de Magna Matre a M. Valerio Laevino, „*qui bis consul fuerat et res in Graecia gesserat,*“ principe quinque legatorum Pessinunte Romam translata narrantur (Liv. 29. 10,4—11,8. 14,5—15,1) ex uno fonte hausta sint, proficiscendum est a Claudiae Quintae rebus. Simpliciter hae a Cicerone (De harusp. resp. 13,27 pro Cael. 14,34) exponuntur,[3]) quocum Diodorus (34. 33,2) congrueret, nisi mulierem illam pro Claudia *Valeriam* nominaret. Attamen haec una causa nobis non persuadet, ut cum Weissenbornio[4]) Antiatem fontem Diodori putemus, nam res ab hoc attingitur in fragmento, quod ad Gracchanae aetatis historiam pertinens cum laude P. Scipionis Nasicae, qui consul a. 643 in magistratu mortuus est, maiorum eius laudes coniungit. Quod ex Posidonio fluxisse sicut omnia, quae de illis temporibus apud Diodorum leguntur, certis argumentis Busolt[5]) demonstravit, Posidonium autem non ab Antiate pendere is quoque concedet, qui eum ex Rutilio hausisse, ut Busolt[6]) et Diels[7]) iudicant, negat. Quodsi Graecum auctorem Diodorus sequitur, Valeriae nomini non multum tribuendum est; quod aut permutatione aut errore[8]) ortum videtur seu scriptoris cuiusdam seu librariorum aut re vera veteres quidam annales pro Claudia *Valeriam* (ominis causa?) nominabant. Diodorum igitur ab Antiate pendere incredibile est, sed quominus Livius hunc secutus esse putetur nihil obstat. Sine dubio enim is e recentioribus annalibus hausit et a Cassio Dione (frg. 57,61 Dind. = 56,64 Melb.),

---

1) Item fasti Capitolini? cf. Soltau, Chronol. 456.
2) cf. supra p. 57 adn. 3.
3) Preller, RM. 2,57 sq. Hesselbarth, Dritte Dek. 565 sq.
4) Adn. ad. Liv. 29. 14,9.
5) Fleckeisens Jahrb. 1890. p. 330 sq.
6) ibid. 333.
7) Sibyllin. Blätter 23.
8) Simili errore in eodem fragmento (§ 1) duo Scipiones Nasicae inter se commutantur (cf. Busolt, l. l. 331. Willems, Le sénat. 1,113 adn. 3) Contra Nasicam ταῖς ἰδίαις χερσίν Tib. Gracchum interfecisse (§ 6) rhetorica ratione (cf. Rhet. ad Herenn. 4. 55,68) dictum est.

qui Coelium secutus est,[1]) nonnullis rebus discrepat velut additis, quae de Scipionis aetate, omissis, quae de pietate eius traduntur, ut appareat, aut Coelii narrationem cum altera quadam ab ipso Livio coniunctam[2]) aut auctiorem exornatioremque in fonte suo repertam esse. Neque praeter Coelium ullus scriptor respiciendus videtur nisi Antias; is igitur Livii auctor legatorum nomina, quae tam antiquis temporibus raro enumerantur,[3]) et priorem Laevini consulatum referebat collega ei addito (Q. Mucio) Scaevola, quocum Laevinus a. 539 praetor erat (Liv. 23. 24,4. 30,18. 34,11).

Multo plures autem Valeriorum magistratus fictos esse cognoscimus, auctorem fraudis ignoramus. Velut quicunque antiquissimis temporibus quaestores feruntur, non e vetustis documentis, sed e recentissimis annalibus noti nec fide digni sunt. Nam boni ominis esse nomina quaestorum aerarii post reges expulsos (Plut. Popl. 12,3) et quaestorum militarium post decemviratum creatorum (Tac. Ann. 11,22) Hirschfeld[4]) perspexit. Horum nomina, Valerius Potitus et Aemilius Mamercus, iam in fastis consularibus annorum 284 et 344 (cf. etiam nr. 7) coniuncta erant; illi et quaestores anni 295 (Liv. 3. 24,3) aliunde ignoti e gentibus plebi invisis infestisque orti sunt, nam Cornelius et Minucius in decemviris alterius anni erant, Servilius Sp. Maelium trucidavit, Veturius a. 300 plebeiis inimicum se praebuit. Item atque anni 295 etiam insequentis anni quaestores, qui M. Volscium, cuius falso testimonio Kaeso Quinctius damnatus est, in ius vocarunt, suspecti sunt, quia eius viri res fide plane indignae sunt.[5]) Cuius damnationem Dionysius antea (10,8) paucis attigit, postea omisit Licinium Macrum, ut opinor, secutus. Nam ut huius scriptoris mos est,[6]) in rebus anni 296 enarrandis omnia mirabilia fabulosaque apud Dionysium deleta sunt[7]) et qui ipse tribunus plebis fuerat, libenter alterius tribuni Volscii infamiam silentio obtexit. Quodsi Dionysius a Macro pendet, Livius adhibuit Antiatem, neque enim ceteri scriptores tam

---

[1]) Posner, Quibus auctoribus in bello Hannibalico enarrando usus sit Dio Cass. Diss. inaug. Bonn. 1874. p. 71.

[2]) Hesselbarth, Dritte Dek. 566.

[3]) cf. Willems, Le sénat. 2,503 sq.

[4]) Wiener Studien 5,125. Admissa coniectura Mommseni (StR. 2,562 adn. 2) haec opinio tollitur, sed ex Taciti narratione turbatissima vera falsaque miscente (cf. ibid. 2,528 sq. 3,323 adn. 3) nihil certi colligi potest.

[5]) Niese, De annal. Rom. observ. I. p. VI.

[6]) cf. supra p. 26 adn. 5.

[7]) Schwegler, RG. 2,727.

copiose antiquissimas res tradebant, id quod confirmatur insolita diligentia, qua Livius (3. 25,2. 29,6) utitur in quaestoris M. Valerii Maximi (nr. 45) origine adnotanda,[1] qualem alias non invenimus nisi loco quodam ex Antiate hausto.[2]

Neque minus dubii sunt L. Valerius et K. Fabius quaestores a. 269 in damnatione Sp. Cassii commemorati, nam hanc rem et Livius et Dionysius secundum recentiores auctores narrant, ille paulo meliorem secutus,[3] hic, ut suspicor, Antiatem. Cuius rei non solum argumentum est, quod Cassium de saxo praecipitatum refert,[4] sed etiam quod eadem ratione ac Plutarchus (Popl. 12,3) posteriorum temporum consuetudine ad priora translata,[5] quaestores *viros aetate iuniores* appellat (8,77). Et cum Livius (2. 41,11) nihil nisi praenomina et nomina quaestorum exhibeat, Dionysius addat, L. Valerium Poplicolam fratrem fuisse eius, qui reges expulerat, apparet, quid Antias et quid auctor Valerio infestus (ap. Dion. 8,87 cf. p. 36 adn. 7) de huius viri genere iudicaverit. Omnia haec quaestorum nomina e fastis viginti annorum ante decemviratum facile eligi potuerunt.

Delenda quoque videntur quaedam interregna, velut L. Valerii Potiti a. 357 (Liv. 5. 17,4), nam prodigium lacus Albani super ripas effusi, quo coacti omnes se magistratibus abdicarunt, ea qua traditur ratione falso cum rebus Romanis coniungitur[6] interregumque nomina e fastis tribunorum prioris anni deprompta sunt. Neque solum interregna sed etiam consulatus huic viro iniuria tribuuntur, nam Chronographi adnotatio ad annum 361: „*Potito et Malluginense*"[7] demonstrat, consules a Livio (5. 29,2) et Diodoro (14. 99,1 et 15. 8,1) allatos ex sententia fastorum Capitolinorum, quorum exilia fragmenta supersunt, consules suffectos fuisse. At etiamsi apud Diodorum quoque eius rei vestigium exstare videtur,[8] tamen dubia est, cum collegium consulum primum a. 592

---

[1]) Codd.: „*Valerii f. Volesi n.*" Sigonius emend.: „*Mani f.*" Haakh (nr. 8) „*Valerii f.*" iniuria servare studet, nam „*Volusus*" praenomen, non nomen est (cf. p. 5).

[2]) Liv. 2. 18,6. cf. p. 23. Nitzschii (Annal. 127) opinio probanda non est, quia Valerii collega T. Quinctius a Dionysio (10,23. 25. cf. Mommsen, StR. 2,561 adn. 2) quoque commemoratur.

[3]) Nitzsch, Annal. 85. Mommsen, RF. 2,175 sq.

[4]) Mommsen, RF. 2,194 sq.

[5]) Niebuhr, RG. 1,551 adn. 1157.

[6]) cf. velut Cuno, Vorgesch. Roms 2,730.

[7]) cf. adn. ad ann. 362: „*Potito II*" (Vindob. — alii codd. *III*.).

[8]) Diod. 14. 99,1: *Σερούιος Κόσσων* e nominibus Ser. Sulpicii et P. Cornelii Maluginensis Cossi compositus.

subrogatum et quod alterum e priscis temporibus traditur, a Macro fictum sit.[1]) Huic non plus fidei inest, nam Valerii Potiti et Cornelii Cossi nomina in fastis tribuniciis eius aetatis saepe coniuncta sunt,[2]) ut facile transferri possent, et Valerium illum consulatu se abdicasse insequenti anno iterum falso traditur. Nam cum pestilentia orta C. Julius censor mortuus esset, utrumque consulem quoque morbo affectum magistratu se abdicasse, tres deinceps interreges successisse Livius[3]) refert. Quam rem ita se non habuisse cognovit Niebuhr;[4]) nec tamen, ut ipse coniecit, consúlibus magistratus abrogari potuit.[5]) Sed ne fidem narrationi habeamus adducimur cum aliis causis tum eo quod Camilli et P. Scipionis interregum nomina ex anno 365, quo eodem munere fungebantur (Liv. 6. 1,8) translata sunt et tertius interrex idem est L. Valerius Potitus, qui modo consulatum deposuerat. Sane is comitia habuit, non cum interrex, sed cum consul esset.

Quanam de causa a. 366 interregno opus fuerit, ne Livius (6. 5,6) quidem exponere potest atque cum hoc anno idem Valerius interrex prodatur post eum, qui cum ipso et eum, qui anno ante ipsum consul fuerat, horum quoque interregum nomina e fastis consularibus hausta videntur. Nam in fastis magistratuum interregna omnino non notata erant et in elogiis, ubi leguntur,[6]) permulti falsi honores insunt. In undecim interregum numero, quos annis 358—367 fuisse Livius tradit, ter nominatur L. Potitus, ter Camillus, bis Scipio et qui supersunt viri, semper quodammodo cum illis coniuncti sunt, causa autem interregni semper religio est. Quae omnia efficiunt, ut de his interregnis valde dubitem.

E Valeriis consulibus unus errore ortus videtur; consulem enim anni 418, quem ceteri fasti omnes (Liv. 8. 16,1. Chronogr. fast. Hisp. Chron. pasch. CIL. 1. p. 512) Kaesonem Duellium nominant, Diodorus (17. 29,1) quem Clason[7]) sequitur Kaesonem Valerium appellat. Attamen Clason Mommseni[8]) de Kaesonis praenomine iudicium non bene intellexisse videtur, nam in Valeria gente nunquam id reperitur, sed interdum

[1]) cf. p. 4. Mommsen, Chronol. 82 adn. 112. StR. 3,364 adn. 6.

[2]) A. 339. 340. 348. 350. 353. 384. 387. Valerius et Cornelius trib. mil. 360. 365. 367. 368. 370.

[3]) 5. 31,5. cf. 9. 34,20. Dion. 13,4. Plut. Cam. 14,1. De more censorem non subrogandi falso inde repetito cf. Mommsen, StR. 1,216 adn. 2.

[4]) RG. 2,555 (Pro Valerio *„Lucretius“* errore scriptus est).

[5]) Mommsen, StR. 1,627.

[6]) Mommsen, StR. 1,649.

[7]) RG. 2,328.

[8]) RF. 1,17.

apud Duellios.[1]) Praesertim cum insequens annus Valerii nomen praeberet, facile Diodori seu librarii errore fieri potuit, ut nomina permutarentur idemque nomen bis scriberetur (*ΔΟΥΕΛΛΙΟΣ* / *ΟΥΑΛΛΕΡΙΟΣ*).

Saepissime falsi tribunatus militum Valeriis attribuuntur, de quibus Mommsenum secutus pauca dicam. Qui vir doctissimus[2]) in fastis anni 360 restituendis iure nititur Diodoro:

14. 97,1:	*χιλίαρχοι τρεῖς*	15. 2,1:	*χιλίαρχοι τρεῖς*
	Μάρκος Φούριος		*Μάρκος Φούριος*
	Γάιος Αἰμίλιος		*Γάιος καί Αἰμίλιος*
	(*Κάτλος Βῆρος*).		

Ex his tribunis *Κάτλος Βῆρος* a Cichorio[3]) eiectus est; L. Furium Medullinum Diodorus omisit, quia duos Furios in fonte reperit E tribus autem viris, quos Livius (5. 26,2) post illos affert,[4]) P. Cornelius, quem acurratius significari necesse erat,[5]) et L. Valerius Poplicola nihil eo anno gessisse feruntur, quamobrem facile eos tollere possumus, et Sp. Postumius, qui bellum quasi hereditarium cum Aequis gessit (Liv. 5. 28,5. cf. Diod. 14. 98,5), fide non magis dignus est.

Iure Mommsen[6]) negat, P. Poplicolam Potitum a. 368 tribunum fuisse, quia a Diodoro omittitur. Nam etsi in fastis Capitolinis adnotatur (cf. numeros ad a. 384 et 387 adscriptos) et Livius (6. 6,3. 12. 16. 7,1. 9,5) multa de eo quem Camillus sibi collegam summi imperii adsumpserit, narrat, tamen eius anni res omnes fide indignae sunt et Valerius in simpliciore narratione Dionysii, quam Plutarchus servavit,[7]) non commemoratur, apud Livium non requiritur, quia quattuor tribunis certa negotia mandata sunt, inepta autem officia nec necessaria Valerio et Horatio, quorum nomina saepius coniuncta in Diodori fastis desunt. Ac suspicio augetur eo, quod de Valerii praenomine dubitatur[8]) et eadem ratione a. 364 Camillo dictatori L. Valerius magister equitum sodalis additur (Liv. 5. 48,5), quam dictaturam fictam esse inde a Beaufortio inter viros

[1]) Clason, l. l. adn. 13. Mommsen, l. l. adn. 17.
[2]) RF. 2,229.
[3]) De fast. cons. ant. 209 adn. 3. Nomen deest in codice Patmio cf. Mommsen, RF. 2,226 adn. 8.
[4]) Eadem erat series in fastis Capitolinis deperditis, nam *Poplicolae* nomen apud Chronographum (CIL. I. p. 502) secundum, in illis igitur quartum scriptum erat (cf. Mommsen, CIL. I. p. 483).
[5]) Borghesi, Oeuvres. 9,213. Mommsen, RF. 2,228.
[6]) RF. 2,229.
[7]) cf. Peter, Quellen Plutarchs. 22.
[8]) Liv. 6. 6,12: „*L. Valerius*“.

doctos constat[1]). P. illius Poplicolae Potiti secundum tribunatum a. 370 (Liv. 6. 18,1) et quintum a. 384 gestum, quo anno Livius (6. 36,3) et fasti Capitolini duos Valerios P. et C. addunt, Mommsen[2]) iure delevit, sed cur de anni 387 tribunatu, cuius fasti apud Diodorum exciderunt, idem iudicetur, causa non est.

Dubius est M. Valerius (nr. 8) magister equitum C. Sulpicii Petici dictatoris, quocum a. 396 Gallos vicisse fertur (Liv. 7. 12,9. 15,4), quia tumultus ille Gallicus Polybio ignotus ab annalibus fictus est[3]) et dictatura artissime cum eo coniuncta opponitur simplici narrationi de Hernicorum bello, quod consules gesserunt (Liv. 7. 15,9). Quare iniuria Soltau[4]) tumultu sublato dictaturam servare conatur. Nomen vero magistri equitum translatum est e duobus consulatibus, in quibus Sulpicii collega erat.

Hoc loco de L. quoque Valerio Flacco (nr. 12) pauca addam, nam hunc virum illa aetate vixisse non nego, sed an magister equitum a. 423 et 433 fuerit, dubito. Ea enim, quae de priore anno apud Livium legimus, ex Antiate fluxisse existimo adductus iis imprimis, quae de clavo fixo narrantur (Liv. 8. 18,12): „*Secessiones plebis*", in quibus clavus a dictatore fixus esset, nihil esse nisi secessionem anni 260, dictatorem autem M'.Valerium Maximum Schwegler[5]) bene intellexit et cum unus Antias dictatorem in ipsa secessione hoc honore functum esse tradiderit (cf. p. 22), is Livii auctor est, cuius rei leviora argumenta exstant haec: Eius generis res, quales hoc capite traduntur, semper fere ab Antiate copiosissime descriptas, in his eum a Livio saepe adhibitum,[6]) rem ipsam non ab omnibus annalibus relatam (Liv. 8. 18,2) similitudinem praebere cum Vitelliorum coniuratione detecta (cf. Plut. Popl. 3 sq.), matronarum damnatarum numerum alias ab Antiate[7]) allatum esse, Claudium autem primarium Livii fontem certo

---

[1]) Niebuhr, RG. 2,618. Schwegler, RG. 3,265. Mommsen, RF. 2,329. 337 sq. alii.

[2]) RF. 2,229. 231.

[3]) Mommsen, RF. 2, 362. Clason, RG. 1,271.

[4]) Chronol. 362 sq.

[5]) RG. 2,238. Iniuria Unger (Philologus 32,539) hoc loco „*secessionem*" idem ac „*seditionem*" valere contendit, nam illa vox terminus technicus, ut nos dicere solemus, est et Livius accuratissime de „*secessionibus plebis*" loquitur. Hac re etiam Ihnii (Forschungen 46 adn. 52) opinio refutatur, ut ipse concedit.

[6]) cf. Liv. 39. 8 sq. ex Antiate (Unger, Philol. Suppl. 3,2. 136). Ant. frg. 47 = Liv. 39. 41,5.

[7]) ap. Liv. 7. 37,16. cf. p. 30.

non fuisse.[1]) Et quamquam contra Mommsenum,[2]) qui cunctam narrationem in dubium vocavit, Unger et Soltau[3]) ostenderunt, clavum unoquoque anno fixum esse, tamen dictatores eius rei causa dicti admodum suspecti sunt.[4]) Qui hoc anno traduntur et dictator et magister equitum aliunde non magis noti sunt quam anni 433, quo idem L. Valerius eodem munere fungebatur (Liv. 9. 7,14). Nam historia eius anni clade Caudina celeberrimi ab annalium scriptoribus adeo perturbata est, ut duae eius dictaturae, quarum neutra quicquam gessit, interpolatae videantur, et iure Soltau[5]) opinatur, Livianam narrationem (9. 1—12) Antiatis speciem prae se ferre. Praeterea haud scio an dubitatio de consulis anni 423 cognomine — Flacci aut Potiti (Liv. 8. 18,1) — inde orta sit, quod ex uno viro duo facti sint.

Postremam interpolationem in fastis praetoriis invenimus, qui tradunt, anno 577 C. Valerium Laevinum et Cn. Cornelium Scipionem Galliam provinciam administrasse (Liv. 41. 8,1 et 3). Nam cum eiusdem nominis viri a. 575 eodem magistratu functi essent, plane ignorabatur, quinam hi praetores fuissent.[6]) Accedit, quod Gallia provincia illis temporibus nunquam praetoribus evenit[7]) et alternis annis quattuor ac sex praetores creari solebant, ut oporteret a. 577 eundem numerum redire qui a. 575 fuerat, scilicet quattuor. His de causis concludendum est, a. 577 quattuor praetores solum fuisse; cum seu errore seu consilio lex Baebia, quae alternis annis quattuor praetores creari iubebat (Liv. 40. 44,2), illo anno non iam valuisse putaretur, ad supplendos duos praetores electi sunt ii, qui duobus annis ante praetura et insequenti anno deinceps consulatu fungebantur. Et hac una re fraus manifesta fit.

Valeria igitur gens de re publica Romana optime merita erat omnibusque temporibus domi atque foris excellebat. Attamen permulta exstant mendacia in rebus eorum, quae e

---

[1]) Weissenbornii adn. ad Liv. 8. 19,3. Clason, RG. 2,28.

[2]) Chronol. 176 adn. 342.

[3]) Chronol. 391 sq.

[4]) A. 441 dictator non clavi figendi, sed rei gerundae causa dictus est cf. Mommsen, l. l. et StR. 2,156 adn. 5. Kärst, Fleckeisens Jahrb. Suppl. 13,735.

[5]) Wochenschrift für klass. Philol. 1890. p. 1241.

[6]) De Valerio cf. p. 46 adn. 6 de Cornelio Weissenbornii adn. ad l. l.

[7]) Mommsen, StR. 2,199 adn. 1. Marquardt, StV. 1,218.

singulis fabulis narrationibusque orta ab uno viro diligenter collecta, exculta, historiae inserta sunt. Qui multa elementa iam reperit: Boni ominis causa Valeriorum nomen in fastis consulum, dictatorum, quaestorum militarium, sacerdotum Fortunae Muliebris (Dion. 8,55) scriptum primum erat, eadem de causa Valerium primum laudationem habuisse, primum e consulibus triumphum egisse, primum populi iussu ac decreto triumphasse veteres tradebant, eadem de causa persaepe Valerii legati ad exsternas gentes mittebantur. Fabularum pars de sacris gentiliciis, de caerimoniis funebribus, de aedibus, de statuis, de cognominibus, de honoribus, aliis rebus originem ducebant, falsi honores ac triumphi iam in stemmate et elogiis legebantur, res gestae in laudationibus augebantur. Sed is, qui has res omnes congessit, turpiores gloriosiores reddebat, novas addebat, eas, quae de aliis tradebantur, ad Valerios referebat, vetustiores scriptores eo consilio emendabat, Valeriorum erga plebem favorem laudibus efferebat, certus quidam auctor est, Valerius Antias.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Cum haec dissertatio typis iam describeretur, inspicere mihi licuit Burgeri librum inscriptum „Sechzig Jahre aus der älteren Gesch. Roms" (Amsterdam. 1891), quem virum doctum de quibusdam rebus in Valeriorum honorem fictis mecum consentire gaudeo, velut de tribuno mil. a. 368 (Bu. 169 supra 68) de magistro equ. a. 396 (Bu. 209 supra 68) de Satrico a. 408 expugnato (Bu. 164 supra 29). Contra Burger (p. 82. 170. 209) mihi non persuasit, ut de dono Delphos misso (supra p. 57) de collegiis consulum annorum 406—409 (p. 49 adn. 7) de praetore anni 404 (p. 39 nr. 9) ipsius sententiam probarem.

Ex eius libro adnotanda videntur praetererea haec:

ad p. 36 adn. 4: Burger (p. 122) coniecit in Diodori loco *Σουβλάκουαν*.

ad p. 37 adn. 2. Burger (p. 243) in codice Patmio nomen *P. Trebonii* legi dicit, cuius rei apud Mommsenum (RF. 2,229. cf. C. de Boor. Fast. cens. 66) mentio non fit. At Diodori fasti hoc anno plane Livianis discrepant, quamobrem fortasse nihilominus *P. Valerii* nomen fide dignum est.

ad p. 66 adn. 8. *Σερούιος Κόσσων* in Patmio codice non legitur, nisi forte Burger (p. 237) ipse locum Diodori (14. 99,1) emendavit.

---

p. 4 adn. 8. *pro* CIL. I. p. 289 *l.* p. 280. *Valesius* in falso titulo CIL. VI 5. 1*b.

p. 7 adn. 2. *pro* p. 335 *l.* p. 385.

p. 8 adn. 3. *pro* 1880 *l.* 1889.

p. 14 v. 18. *pro* nam quae *l.* nam ea quae.

p. 18 v. 2. *pro* Luretii *l.* Lucretii.

p. 34 adn. 5 *pro* Plant. *l.* Plaut.

p. 46 v. 2. *pro* 4. 7,1. *l.* 4. 1,7.

Stemma ge

(Volusus

1. P. Valerius Poplicola.

2. P. Valerius Poplicola.
cos. 279. 294.

3. L. Valerius Potitus.
cos. 305.

4. L. Valerius Potitus.
trib. mil. 340. 348. 351. 353. 356. cos. 362.

5. C. Valerius Potitus (Volusus?).
cos. 344.

6. L. Valerius Poplicola.
trib. mil. 365. 367. 371. 374.

7. P. Valerius Poplicola Potitus.
trib. mil. 374. 377. 387.

8. M. Valerius Poplicola.
cos. 399. 401.

9. P. Valerius Poplicola.
cos. 402. dict. 410.

11. C. Valerius.
aed. c. a. 424.

12. L. Valerius Flaccus.
mag. equ. 423? 433?

10. C. Valerius Potitus.
cos. 423.

13. L. Valerius.
duumvir naval. 472.

14. M. Valerius Flaccus.

32. P. Valerius Laevinus.
cos. 474.

15. L. Valerius Flaccus
cos. 493.

33. P. Valerius Laevinus.

16. P. Valerius Flaccus.
cos. 527.

34. M. Valerius Laevinus.
cos. 544.

17. L. Valerius Flaccus.
cos. 559. cens. 570.

19. C. Valerius Flaccus.
praet. 571.

35. M. Valerius Laevinus.
praet. 572.

36. C. Valerius Laevinus.
cos. suff. 578.

18. L. Valerius Flaccus.
cos. 602.

20. C. Valerius Flaccus.
triumvir monet. c. a. 600.

23. L. Val. Flaccus.
cos. 623.

25. C. Val. Flaccus.

21. L. (Val.) Flaccus.
praet. c. a. 640.

22. P. (Val.) Flaccus.

24. L. Val. Flaccus.
cos. 654. cens. 657.

26. C. Val. Flaccus.
cos. 661.

27. L. Val. Flaccus.
cos. 668.

28. L. Valerius Flaccus.
praet. 691.

30. (C.?) Valerius Flaccus.

29. C. Valerius Flaccus.
† 706.

31. L. Valerius Flaccus.

37. P. Valerius Laevinus.
quaest. c. a. 715.

...tis Valeriae.

...alerius.)

43. M. Valerius Maximus.

44. L. Valerius.
cos. 271. 284.

45. M. Valerius Maximus Lactuca.
cos. 298.

46. M. Valerius Maximus Lactuca.

47. M. Valerius Lactucinus Maximus.
trib. mil. 356. 359.

48. M. Valerius Maximus.

49. M. Valerius Maximus Corvus.
cos. 406. 408. 411. 419. 454. 455.

38. P. Valerius (Falto).

39. Q. Valerius Falto.

40. Q. Valerius Falto,
cos. 515.

41. P. Valerius Falto.
cos. 516.

42. M. Valerius Falto.
praet. 553.

50. M. Valerius Maximus.
cos. 442. 447. 468.

51. M'. Valerius Maximus Messalla.
cos. 491. cens. 502.

52. M. Valerius Maximus Messalla.
cos. 528.

53. M. Valerius Messalla.
cos. 566.

54. M. Valerius Messalla.
cos. 593. cens. 600.

55. M'. Valerius Messalla.

56. M. Valerius Messalla.

58. Valeria.
Sullae uxor.

57. M'. Valerius Messalla.

59. M. Valerius Messalla Niger.
cos. 693. cens. 700.

60. M. Valerius Messalla.
cos. 701.

61. M. Val. Messalla Potitus.
cos. 722. 725.

63. Valeria.
Q. Pedii uxor.

64. Valeria.
Ser. Sulpicii uxor.

65. M. Val. Messalla Corvinus.
cos. 723.

71. (M.) Val. Messalla.
triumvir monet. 701.

72. M. Val. Messalla Barbatus Appianus.
cos. 742.

62. L. Val. Mesalla Volusus.
cos. 758.

66 M. Val. Corvinus Messallinus.
cos. 751.

69. M. Aurel. Cotta Messallinus.
cos. 773.

70. Valeria.
Statilii uxor.

73. Valeria Messallina.
Claudii uxor.

67. M. Valerius Messalla.
cos. 773.

68. M. Valerius Messalla Corvinus.
cos. 811.

SENTENTIAE CONTROVERSAE:

I. De Miltiadis expeditione Paria Herodoto (6,132 sq.) gravissimo auctori fides habenda est.

II. Archilochi ἀκμή, quocunque anno a veteribus constituitur, artificiosa ratione computata est, etsi ea a vero tempore non ita multum abhorret.

III. Quo itinere Hannibal Alpes transierit, e Livio potissimum cognoscitur.

IV. Valerius Antias non annis 706—709, ut M. Voigt (Die leges regiae. Abhandl. d. sächs. Gesellsch. 7,706 sq. 776 adn. 461) vult, sed c. a. 680 annales conscripsit.

VITA.

Fridericus Hermannus Münzer in oppido Silesiae, quod vocatur Oppeln, die XXII. mensis Aprilis anni 1868 natus sum patre Emanuel, matre Olga e gente Unger, quos carissimos parentes adhuc vivos pio gratoque animo veneror. Fidei addictus sum iudaicae. Litterarum elementis in gymnasio regio Oppoliensi instructus, vere anni 1886 maturitatis testimonium adeptus universitatem Lipsiensem adii, ut studiis historicis et philologicis operam darem. Ibi per ter sex menses scholis interfui virorum doctissimorum: Biedermann, Gardthausen, Heinze, Maurenbrecher, Ribbeck, Schreiber, Seydel, Springer, G. Voigt, Wachsmuth, F. Zarncke et per sex menses exercitationibus Gardthauseni. Berolinum inde me contuli, ubi audivi professores illustrissimos Bresslau, Curtius, Diels, Dilthey, Furtwängler, Hirschfeld, Hübner, Kiepert, Kirchhoff, Köhler, Lazarus, Paulsen, de Richthofen, Robert, de Treitschke, Vahlen, Wattenbach. Ad exercitationes mihi benigne aditum concesserunt Bresslau, Diels, Hirschfeld, Köhler, Mommsen. Quibus viris omnibus de me optime meritis imprimis Dielsio et Mommseno gratias ago quam maximas, praecipuas vero debeo Hirschfeldio, cuius consilio in studiis meis egregie adiutus sum.